

Reg. 3.146

M  
2.335

# ETHICA

PHYSICO-RATIONALIS LIBERA

SEU

PHILOSOPHIA MORUM

EX NATURA HOMINIS

RATIONE NATURALI DEDUCTA

ET

SECUNDUM PHILOSOPHIAE ECLECTICAE

INSTITUTIONEM PERTRACTATA

AUCTORE IGNATIO MONTEIRO

IN PONTIFICIA FERRARIENSI UNIVERSITATE

STUDIORUM PRAEFECTO.

VOLUMEN PRIMUM.



FERRARIAE MDCCXCIV.

---

TYPIS HEREDUM JOSEPHI RINALDI

*Superiorum permissu.*

2.332  
M

ETHICA

PHYSICO-MATHEMATICAE LIBER

333

PHILOSOPHIA MORUM

DE NATURA HOMINIS

EXATONE NATURALI DEDUCTA

E T

SECUNDUM PHILOSOPHIAE ELECTICAE


INSTITUTIONEM PARSIVATA

AUCTORE ISMATO MONTINO

IN PORTUENSIS UNIVERSITATIS

STUDIORUM PARSIVATA

VOLVENS PRIMUS



FERRARIAS MONTINUS

TIPISS REEDON JOURNAL BIRABE

REEDON JOURNAL



## P R A E F A T I O .



**M**ORALIS PHILOSOPHIA , supremus humanae sapientiae apex , postremumque philosophicarum meditationum caput , primus , ultimusque esse deberet liber , non modo a Philosophis , sed ab universis hominibus cogitantibus , prae manibus semper habendus , legendus , meditandus , ratione assequendus , atque usu vitae probandus . Aureus hic est fructus , et praemium philosophantium vigiliis , omniumque hominum dignum : Felicesque illi , pauci forsitan , et quos aequus amavit aeternus rerum conditor , in quorum sensibus , dictis , factis , totaque vivendi ratione , vitam miraremur moralis philosophiae imaginem , atque exemplar . Bene , feliciterque vivere , seu nostrae hominum vitae felicitas viribus naturae possibilis , naturali ratione cognoscenda , humanisque moribus assequenda , moralis Philosophiae argumentum , scopus , et summa existit . Hoc dixisse , ad Ethicae commendationem , satis . Humana vita , seu Philosophia moralis felicitatem per se constituens , aut illam secum ferens : en problema non modo Philosophis , sed homini cuicumque cogitanti ante oculos observari semper dignum , et vita ipsius solvendum , Philosophis , et mortalium cuicumque dignum , utile , necessarium . Id vero ad evidentiam , nobis etiam non cogitantibus , demonstrant innata omnium hominum vota ; tacita nostra desideria , curae , sollicitudines . In moralem ipsam philosophiam merito collineant ,

5.332  
M

AT HIC

PHYSICO-MATHESIS LIBER

320

PHILOSOPHIA MORUM

RE MATHEMATICIS

EXATONE NATURALI DE DUBIO

21

SECUNDEM PHILOSOPHIAE ELECTICAE

INSTITUTIONEM PARADOXI 174

AUCTORE IANUO MONTANO

IN MONTANA UNIVERSITATE

STUDIORUM PUBLICO

IN VITAE 1743



PERBARRIAE MONTANAE



TISS REEDON JOURNAL 1743

SECUNDEM PARADOXI

P R A E F A T I O .



**M**ORALIS PHILOSOPHIA, supremus humanae sapientiae apex, postremumque philosophicarum meditationum caput, primus, ultimusque esse deberet liber, non modo a Philosophis, sed ab universis hominibus cogitantibus, prae manibus semper habendus, legendus, meditandus, ratione assequendus, atque usu vitae probandus. Aureus hic est fructus, et praemium philosophantium vigiliis, omniumque hominum dignum: Felicesque illi, pauci forsitan, et quos aequus amavit aeternus rerum conditor, in quorum sensibus, dictis, factis, totaque vivendi ratione, vitam miraremur moralis philosophiae imaginem, atque exemplar. Bene, feliciterque vivere, seu nostrae hominum vitae felicitas viribus naturae possibilis, naturali ratione cognoscenda, humanisque moribus assequenda, moralis Philosophiae argumentum, scopus, et summa existit. Hoc dixisse, ad Ethicae commendationem, satis. Humana vita, seu Philosophia moralis felicitatem per se constituens, aut illam secum ferens: en problema non modo Philosophis, sed homini cuicumque cogitanti ante oculos observari semper dignum, et vita ipsius solvendum, Philosophis, et mortalium cuicumque dignum, utile, necessarium. Id vero ad evidentiam, nobis etiam non cogitantibus, demonstrant innata omnium hominum vota; tacita nostra desideria, curae, sollicitudines. In moralem ipsam philosophiam merito collineant,

ad illamque nos sponte deducunt caeterae philosophiae partes, et humana omnia studia, atque disciplinae. Nisi ita esset, quid aliud illae existerent, quam steriles labores, vana, et inutilia scientiarum simulacra? Quid rei sit beata illa humana vita, et suprema Felicitas; quaenam media ad illam obtinendam nos ducant; quaenam impedimenta retrahant; quonam denique physico, rationabilique principio ad media ponendum, impedimenta tollendum, finem assequendum, natura, et ratio nos semper incitet; amplissima sunt, sublimia, profunda moralis philosophiae capita.

Physica, Logica, Metaphysica, seu sensus, criterium, ratio, mores, se se manu veluti tenent, aliaeque ad aliam, omnes vero ad Ethicam ducunt. Physica adspectabilem hunc materialem mundum tot utilissimarum artium, scientiarumque materiam, et objectum contemplatur; teque ipsum tibi demonstrat. Quid tamen mens humana in tot sciendarum rerum labyrintho, atque ignoto Oceano posset, nisi firmo aliquo veritatis criterio, et verum a falso dignoscendi regula semper duceretur? Eadem hominis esset conditio, qua navis in immenso mari sine ductore, ventis, fluctibusque ludibrium ageretur. Citra Logicam igitur, quae mentem, quibuscumque rebus studeas, ubique dirigit, errandi pericula monet, prudensque veritatis criterium existit, quidnam rei essent physicarum rerum scientiae, nisi errorum, veritatumque confusio, et mendax scientiae nomen? Jam vero mens humana cogitandi, verique criterium edocta, adspectabilem hunc physicarum scientiarum campum per otium contemplans, de tanti operis Auctore se se ipsam sponte quaerit. Materialem enim mundum, Logica semper duce, penitus contemplari, quin in tanti operis auctorem, principium, finem in auctoris ipsius Sapientiam, Bonitatem, Justitiam,

§

Providentiam philosophando ascendamus, rerum ipsarum connexio non permittit. Jam eo philosophando progressos latere amplius non possunt immutabiles naturae Leges, Justi, et injusti regula, atque principium. In tanta cogitandi sublimitate, nostrimet esse memores, de nostramet Anima spirituali, libera, immortalis nobis conscii. in eam sponte incidimus quaestionem, quaenam esse debeat vitae humanae ratio, libertatis usus, mores, officia, ut divinae Bonitatis consilio respondendo naturali felicitate fruamur, boni, justi, beati. En nos igitur, ratione, et natura ducibus, gradatim philosophando, ad Ethicae limen, ad totius philosophiae apicem, et maximi momenti quaestionem deductos.

Ethica igitur totius philosophiae, imo, et omnium humanarum cognitionum corona et fructus ita existit, ut nullus merito dici possit Philosophus, qui principem humanae philosophiae partem non didicerit. Caeterae philosophiae partes ad Ethicam per se ducunt. Et hinc licet philosophiae moralis praecepta, practicam illius partem constituentia, a primo rationis usu ad sepulcrum usque perpetuus esse debeant comes, et ductor; pars tamen altera totam moralem doctrinam continens, cum ex objecti sublimitate non nisi ab homine caeteris philosophiae partibus penitus exculto percipi rite possit; quod mentis jam confirmatae, et cogitandi usu contritae proprium est; adultiorem aetatem, mentemque, et animum a passionum tumultu minus agitatam requirit. Tum enim vero, defervescente jam passionum aestu frigidae rationi locum faciente, animum identidem subeunt, et pulsant quaestiones illae imprimis seriae, et saepe molestae: quid ego, unde, quorsum, quomodo? Unde scilicet existo, quid sum, quis mihi finis, quo tendo? quaenam me sors manet? quaenam ad finem, sortemque illam assequendum via,



ratio, modus? Quid agendum? Quomodo vivendum et moriendum? Memetipso introspecto, homo enim vero spiritus, et materia mirabili nescio qua ratione uniti, existo. Nudius tertius adhuc non eram ex tenebroso nihil ab omnipotente rerum omnium auctore ad esse creatus, intra brevissimum temporis spatium a curis ad sepulcrum traducendus, ex adspectabili mundanarum rerum theatro non amplius in scenam rediturus egrediar; humanaeque vitae curriculum, veluti fulgur disposure disparens, et momentaneum phaenomenon in media aeternitate temporis evanescit. In phaenomeni tamen transcurso quae nam in humano corpore, et Animo mirabiles rerum vicissitudines? Illud quidem materialium rerum Legibus, viribus, et affectionibus semper subjectum, quasnam non patitur mutationes in animam ipsam non parum agentes? Anima quomodocumque, ex corporis actione, et commercio, oppositarum passionum tumultu agitetur, et hac, illac fluctuet; in mediis tamen hisce tumultuum vorticibus cogitat, libera plerumque existit, verum quaerit, Bonum amat, jucunditatem, felicitatem inhiat. Hanc semper cogitamus, quaerimus, speramus; amissam dolore, praesentem gaudio, futuram spe, et desiderio prosequimur. En communia nostrorum omnium vota. Quaecumque tamen sim, a Deo sum, mea omnia a Deo habeo; quonam enimvero Auctore! Incassumne, et citra consilii rationem, et finem Numen infinite sapiens, providens, justum, et sanctum me cogitantem, liberum, mearum actionum dominum, ad felicitatem ad Deum ipsum semper aspirantem creavit? Humanam etiam prudentiam dedeceret huiusmodi agendi ratio. Eo igitur indole nostra tendimus, insuperabili naturae vi rapimur, eoque communia omnium vota respiciunt. Quae nam tamen haec naturalis Felicitas, illudque naturale Bonum votorum

nostrorum meta? existit ne etiam, aut esse in <sup>7</sup> hac  
vita, et praesenti rerum constitutione potest natu-  
ralis Beatitudo; an potius post vanum Beatitudinis  
phantasma miserum laboramus? Quomodocumque il-  
lud statuatur, cum ex corpore, et anima conflati  
simus mortales, haec tamen posterior praecipua sit  
naturae nostrae pars; nisi nos natura ipsa fallat,  
humana felicitas ita physicae, rationalisque, et mo-  
ralis partis esse debet, ut ad animam potissimum  
spectare videatur.

Hoc sane pacto ab idea ad ideam, a veritate in  
veritatem ascendendo, aut contrario ordine descen-  
dendo, causae rationem deprehendimus, quare Mo-  
ralis Philosophia latissime accepta, semper fere, et  
ubique jacuerit inculta. Jacebat etiam critica cogitan-  
di ars, seu scientia, sincera, et vera physica, et  
sublimioris Theologiae naturalis scientia. Nisi homi-  
nem, physicarum causarum, et effectuum compen-  
dium, prius exploratum habeamus; nisi in hac explo-  
ratione, totam naturalem philosophiam secum ferente,  
rigorosa nitamur critica; nisi ex hisce fundamentis  
demonstrata, firma, sanctaque nobis sint sublimia  
illa Metaphysicae capita, Dei existentia, Providen-  
tia, Sanctitas, animae spiritualitas, libertas, immor-  
talitas; quaenam esse potest morum scientia natura-  
libus fundamentis destituta? Homo moralis ex ho-  
mine physico, Logica duce, Metaphysicae funda-  
mento ediscendus. His omnino scientiis, et discipli-  
nis studiose cultis mirum esset, si una moralis de-  
spiceretur, quae dictarum scientiarum esse debet fru-  
ctus. Nostra hac igitur aetate alia longe est cogitan-  
di ratio. Una cum caeteris philosophiae partibus Mo-  
ralem colere, naturalia principia, et officia exami-  
nare caeterasque moralis scientiae partes studiose di-  
scutere, princeps fere est litteratorum amor, et cura.

Laudari satis non potest praevalens hic studiorum

delectus, atque *praelatio*. Quid enim aliud nos proprius tangit; potiusque haberi debet, opinari, et scire, an sapere? humanas artes esse doctum, an potius bonum, felicem, justum? Physicam, Mathesim, aliasve liberales artes colere, an quo pacto ad postremum usque diem vitam ita beatam vivere, ut muneri a Deo nobis imposito insimul faciamus satis? Ego quidem de me ipso fateor, licet alias scientias pro modulo meo per plures annos coluerim; moralis tamen philosophia, non modo utilitate, quae maxima est, sed jucunditate, et certitudine me semper prae aliis ad se se traxit. Quid enim philosophanti jucundius, quam physico mundo studiose examinato, intelligibili vero, mente quantum homini licet, contemplato, ratione semper duce moralem mundum pervagari, inspicere, meditari? Cum moralem mundum dico, moralium entium universitatem intelligo, naturalia imprimis cum hominum, tum Gentium, seu Nationum jura, divinas, humanasque leges, diversas eas facultates morales, virtutes, mores, officia in se, in Deum, erga alios: politicas etiam civilium Societatum constitutiones, atque civilia omnia officia ex socialibus conventionibus, et contractibus derivantia.

Peculiarem tantummodo mundi morales provinciam lustrandam mihi propono, Ethicae nomine, seu Philosophiae moralis proprie dictae nuncupatam. In hac etiam Philosophiae parte Eclecticum, seu libere philosophantem me esse profiteor. Natura, et ratio unus mihi sunt in naturali morum Philosophia ductor: Homo igitur Christianus alias, et revelatae Religionis catholicae cultor, totum in praesenti argumento rationi, et naturae tribuo: Philosophum enim, et cum Philosophis ago; quorum plurimi naturalis quidem Religionis cultores, (Atheistae enim non Philosophi, sed rationalia monstra), revelationem, aut irrident, aut non curant. Liber vero, homo ipse, seu ani-

mus humanus in mediis passionum , affectuumque vorticibus in bonum semper aspirans. Ethicam enim scripturo plus meditationis , et observationis , quam lectionis , atque alienae eruditionis opus est . Cor humanum , civilis hominum vita , atque societas , humanarum rerum vortex , et theatrum , unus ille est liber morali Philosopho necessarius , semper apertus , et nunquam satis evolvendus , atque meditandus . Totam inde ediscenda morum doctrina , vitia , virtutes , et quae tandem esse possint , et debeant humanarum actionum finis , et humana felicitas . Inde pariter ediscuntur naturalia cum hominis , tum Gentium jura , praeclara illa moralis Philosophiae argumenta .

Sicut in Metaphysica principium certum philosophandi , seu ratiocinandi , ita et in Ethica principium certum agendi homini insitum , et omnibus commune statuendum . Inde vero quo idearum connexio , atque evidentia ducit argumentum prosequor . Plura alia huc facientia digna praefari , atque ad argumenti intelligentiam lectori opportuna , in subjecta prolegomena rejeci .



---



---

 PROLEGOMENA IN ETHICAM.

## S E C T I O I.

*Philosophia moralis generatim accepta, illiusque ab aliis philosophiae partibus discrimen.*

**N**aturalis morum, seu mundi moralis scientia ex propriis principiis, et per proprias causas deducta, generatim dicitur Philosophia moralis, seu ars, et scientia morum. Et hoc sensu Ethica generalis merito nuncupatur. Vox quidem a Graeco  $\text{Ἠθικός}$ , seu  $\text{Ἠθικός}$  in communem usum, et hodiernam latinam linguam translata, et mores, seu doctrinam morum significans. Utroque hoc nomine intelligitur nobilis illa philosophiae pars, quae de homine morali agit: humanos mores, seu actiones hominum liberas expendit, regulasque tradit, quibus ad bonum, rectamque justitiae et felicitatis viam dirigit. Homo omnium terrestrium viventium princeps, et altioris ordinis animans, corpus, et spiritus existens, omnia haec ex innata indole semper quaerit, et animo desiderat *vitam, verum, Bonum*. Primum hominis physici, ex corpore, et anima compositi proprium est. Innatus autem veri, et Boni amor, atque desiderium Animae humanae cogitantis, et volentis character, atque indoles existunt. Ad vitam, ad verum, ad Bonum, et felicitatem nati, haec semper respicimus, et quaerimus objecta. Primum causis physicis, et mechanicis, secundum intellectu, tertium voluntate agitur, aut obtinetur. Te ipsum igitur inspiciendo, hominem physicum, hominem cogitantem, hominem moralem deprehendes, et inter se distingues. Ad vitam, et hominem physicum referuntur peculiari mo-

do physicae scientiae , et artes. Cogitantis hominis partes , et munera sunt purae rationis , veluti provinciae , imprimis vero cogitandi scientia , rerumque auctoris , et intelligibilis mundi Sapientia . Homo moralis est ens , animans alias cogitans , agendi libertate praeditus , multiplicis juris subjectum pariter , et objectum , et ad moralia officia obligatus , meriti , atque demeriti capax . Philosophia igitur , moralis generatim accepta omnia illa complectitur , quae in homine moralia sunt , hominemque moralem constituunt , mores scilicet , eorumque causas , effectus , regulas , jura omnia , et Leges , diversa hominum officia , virtutes , vitia , affectus , passiones : definirique potest *Scientia Vitae moralis* , ad naturalem felicitatem ducens , et sola ratione parta . Inter praecipuas philosophiae partes , hoc est *cognitionis rerum per suas causas* merito numeratur , quod de argumento gravissimo , et summi momenti , humana scilicet felicitate per ejus causas agat . Ejus ab aliis distinctio ex earum objectis , et indole facile patet . Ars critica , seu Logica est directio , seu regula Mentis ad inveniendum verum : Physica est cognitio Naturae , seu rerum physicarum ex physicis earum principiis : Metaphysica , seu Theologia naturalis , circa causae causarum , ejusque attributorum contemplationem , universales , et primitivas rerum leges , spiritus , animam humanam versatur . De hisce quidem non agit Philosophus moralis : illa tamen nullo pacto ignoret . Corpus enim , et Anima existimus homines : actiones humanae , officia , virtutes , vitia , passiones , uno verbo , humana vita moralis , et felicitas causas habet rationales , physicas , morales . Quid corpus , et Anima in se mutuo non agunt ? quid et in Anima passiones , virtutes , vitia non potest corporis ipsius temperamentum , humores , clima ? Quantum non est ab his omnibus modificata ratio , et vo-

luntas? Quid Philosophia morum citra rationis directionem; citra sublimia religionis naturalis principia in metaphysicis demonstrata, citra etiam physicarum rerum scientiam? Hinc illa est Philosophiae moralis difficultas, et moralium Philosophorum paucitas.

§. II.

*Philosophiae moralis amplitudo: in diversas partes, seu scientias divisio.*

Cum Philosophia generatim accepta sit cognitio naturalis omnium rerum per suas causas; moralis philosophia generatim etiam usurpata, est cognitio rerum omnium moralium per suas causas. Quidquid mundum moralem constituit, ad illius obiectum spectat: sicut mundus materialis physicae, mundus vero rationalis, et intelligibilis Metaphysicae, una et Logicae argumentum existit. Quaenam hinc philosophiae moralis amplitudo! quidquid ad mores spectat, moribus consistit, humanum est, morale hominum bonum respicit, dirigit, consequitur, Leges universim, Jus naturale, hominis, et gentium, divinum, humanum, officia omnia hominum singulis hisce juribus respondentia, haec, inquam, omnia amplissima rerum capita, et vastas veluti provincias complectitur philosophia moralis. Moralia haec omnia sunt, hominum felicitatem spectant, aut constituunt.

Scientia morum generatim usurpata dividi primo potest in theologiam moralem, et philosophiam moralem. Prima humanarum actionum honestatem, virtutes, et vitia ex revelatione, seu sacra pagina definit; hominesque ad felicitatem non naturalem, sed supernaturalem in futura vita assequendam ducit: Secunda, quae sola nostri instituti est, de homine morali ratione naturali tantummodo agit, ejusque fe-

licitatem naturalem in praesenti etiam vita obtinendam, spectat. Haec posterior, quatenus religionem naturalem, et officia hominis erga Deum demonstrat, atque praescribit, theologiam, etiam naturalem, moralem complectitur. Partem illius theoreticam, et fundamentalem in Metaphysica luculenter demonstravimus. Praecepta vero, et officia hominum moralia, et naturalia erga Deum inferius exponentur. Philosophia igitur moralis, quae Logicae per omnia fere respondet, perinde ut illa, in theoreticam, et practicam, seu theoriam, et praecepta dividi potest. Prima doctrinam, et moralium rerum theoriam, scientiam scilicet principiorum moralium, quae regulas justitiae, honestatis, et bonitatis, et omnes actiones humanas complectitur. Secunda vero a priori omnino pendens in praeeptis, officiis, legibus, usuque, et modo humanarum actionum tradendis tota impenditur.

Praecipua, et notissima Philosophiae moralis divisio, et partes sunt: 1. Jus naturale hominis, tam absolutum, ex sola natura hominis consequens, quam hypotheticum, diversos hominum status supponens, ex illisque derivans. 2. Jus naturale Gentium totum quidem hypotheticum, et civiles societates tanquam personas morales supponens. 3. Ethica, seu Philosophia moralis stricte, et proprie dicta. 4. Jus publicum, seu politicum cujusque Nationis. 5. Jus oeconomicum hominibus; familiis, Societatibus conveniens. 6. Scientia politica gubernandi. 7. tandem leges omnes civiles, quae ex genere suo, et pro diversitate temporum, locorum, Gentium, variae, mutabiles, et arbitrariae existunt.

En vastissimas scientiae morum partes, hominem moralem constituentes, et moralis veluti mundi amplissimas provincias. Omnia haec ad mores spectant, mores docent, et statuunt, hominemque ad Bonum, et naturalem felicitatem dirigunt.



*Notio, et discrimen singularum philosophiae  
moralis partium.*

**J**us Naturale, seu Lex pro scientia usurpata, quo tantum sensu in praesentiarum spectatur, est scientia justi, et injusti ratione naturali parata, humanarum actionum regulas tradens, hominemque secundum justitiae naturalis, et rationis discrimina ad felicitatem dirigens. Hominem igitur moralem, intellectu, voluntate, libertate praeditum spectat, justum, et injustum naturale explicat, agendi regulas homini demonstrat, ejusque felicitatem respicit. Habes Legis naturae subjectum, argumentum, finem. Non hic auctoritas, Religio, divinae, humanaeque leges, sed nuda tantum, et sola ratio naturalis locum habet. De jure Naturae pro facultate usurpato, qui alius est harum vocum sensus, inferius erit dicendi locus.

Singulorum hominum vice civiles nationum, seu gentium societates considera, morales scilicet personas in physicarum locum substituens. Nationis individua in civilem societatem convenientia, et communi consilio, consensu, et voluntate agentia, praesentia, aut repraesentantia, personam moralem, intelligentem, volentem, liberam efficiunt. Scientia naturalis justi, et injusti moralium hujusmodi personarum, seu gentium actionibus applicata, jus naturale gentium nuncupatur, a jure naturali hominis tantum differens, quantum subjectorum diversitas per se fert. Neque enim eadem semper est hominis, atque nationis agendi ratio, neque eadem actiones hominibus singularibus, et nationibus conveniunt.

Ethica, seu philosophia moralis proprie dicta, est naturalis scientia, et ars vitae moralis secundum justitiae regulas, ad naturalem felicitatem consequendam. Eadem igitur juris naturae, atque Ethicae principia,

objectum, argumentum, finis. Praecipuum eorum discrimen est, quod Jus naturale justitiae naturalis, et officiorum theoriam, et regulas generatim exponit, quin ad vitae usum, et actionum humanarum modum, et circumstantias descendat. Ethica vero ita est scientia vitae moralis, ut in sola justitiae naturalis, et officiorum theoria non sistat, sed humanarum actionum analysim instituat, naturam, principium, moralitatem exponat, ad earum usum, modum, et circumstantias expendendas descendat, affectuum, et passionum vim explicet, virtutum, vitiorum principia, naturam, modum demonstret: quid tandem sit, aut esse possit humana felicitas naturalis, ex his omnibus statuatur, et concludatur. Uno verbo Jus naturae est scientia justitiae naturalis: Ethica vero est magistra vitae in naturalis justitiae schola. Jus etiam gentium, atque Ethica mutuo se se supponunt: utrumque alterius fere disciplina. Societates ex hominibus, homines ex societatibus, atque in societatibus educantur, et fiunt: homines naturales ex indole, et indigentia conflant societates: Hae vero homines morales, et factitios educant. Maxima enim vero virtutum, officiorum, passionum, atque vitiorum pars a societatibus originem habet, et factitia sunt. In eoque factitio statu ita explicantur, et in naturam veluti convertuntur: ut naturalis videatur, qui factitius fere tantum existit homo moralis. Haec omnia luculenter inferius explicabuntur.

Hominibus in nationes jam associatis, et civilibus societatibus jam constitutis, qua de re in scientia Juris gentium late disseritur, consequens est, ut peculiaria quaedam imperanti, integram nationem referenti, propria sint jura, seu facultates, atque officia, quod etiam sint sociati populi erga principem facultates, atque officia. Hujusmodi facultatum, seu jurium, et officiorum discipli-

na, Jus publicum, et politicum vulgo nuncupatur. Utrumque nomen ex eo derivatum, quod de mutuis juribus, in publica civitatis constitutione inter imperantem, et cives statutis, agatur. Et haec quidem disciplina *Jus publicum generale* nuncupatur, cum generatim solummodo de argumento agit, quin de aliqua gente sermo sit. Quod si de certae cujusdam nationis, Germanae v.g. aut Anglicae, constitutione disputetur; Jus publicum Germanicum, aut Anglicum nuncupatur; at hoc quidem Jus a naturali, gentium, et Ethica toto coelo distat: totumque est arbitrarium, et ubique gentium fere diversum.

Homini libero, suarum actionum, et rerum domino, familiis praeterea, et societatibus sui juris ex natura ipsa, instinctu, et ratione philosophantibus, jus, et facultas inest, se se conservandi, rebus suis providendi, fruendi, utendi, et secundum prudentis rationis dictamina citra aliorum injuriam rem domesticam ad propriam utilitatem administrandi, mutandi, augendi, et pro libito tractandi. Atque hoc jus illud est *oeconomicum* vulgo nuncupatum, ex ipsa hominum natura, aequalitate, libertate descendens, politicis, civilibusque societatum legibus confirmatum, et singulis hominibus, familiis, Societatibus imprimis sacrosanctum. Hujusce facultatis disciplina, dum de privati hominis, aut familiae jure agit, *oeconomia*; cum de civili societate, et natione res est, *ars Politica* nuncupata, utilitatem respicit, rationi, et justis regulis conformem: Estque propterea *rationalis sibi rebusque suis providendi scientia, et usus*. Atque tam in principiorum regularumque cognitione, quam in earum usu consistit.

Lex tandem civilis, qua civium erga cives decernuntur officia, postremum philosophiae moralis caput, est *voluntas habentis jus cum intentione obligandi, rite promulgata, et bonum publicum respiciens.*

Ex hisce moralis philosophiae partibus una Ethica mihi proponitur tractanda: quod fieri nequaquam potest, quin in Jus naturae excurramus, assertisque communibus utriusque facultatis fundamentis, plurima Justitiae naturalis capita theorica demonstrantur. Eoque pacto humanarum actionum, et officiorum theoriam insimul, atque usus dabimus. Deinceps vero philosophiae moralis nomine Ethicam semper intelligemus; quod actionum justitiam, et moralitatem, theoriam, et usum promiscue tractemus; totius scientiae moralis praecipuum caput sit, et fundamentum. Ad rem igitur veniamus.

§. IV.

*De Ethica, seu Philosophia morali proprie dicta  
uberior disputatio.*

**E**thica, non modo existit vera scientia, sed artibus etiam est adnumeranda. Scientia quidem, quae principiis certis innixa, quamplurima ex iis demonstrat theoremata, quae ordine, certaue methodo disposita, doctrinae corpus componunt. Quod unum est esse veram scientiam. Cum praeterea quamplurimae tradantur regulae, et praecepta ad mores informandos spectantia; inter artes etiam refertur. Hujus disciplinae est, non solum docere, quid rei sint beatitudo, virtus, vitium, sed et potissimum viam, modumque, et usum agendi, vivendi statuere, suadere, quibus illa obtineamus. Duae idcirco distingui possunt Ethicae partes praecipuae: quarum una doctrinam continet, et theoria actionum humanarum nuncupari potest.

Quocumque modo illam consideres, nulla scientiarum, artiumque est Ethicae praefenda. Licet enim peculiare aliquid hominis bonum, aut, honestum, jucundum, utile, totius philosophiae, cae-

terarum scientiarum , et artium scopus existant ; Ethica tamen peculiari modo commune , privatumque hominis bonum , et felicitatem naturalibus hominum facultatibus , ratione , moribusque assequendam respicit . Hoc unum est illius finis , et totius rei summa . Quotuplicia tamen non sunt , qualia , et quanta humanae felicitatis elementa ? Homo moralis , philosophiae moralis argumentum , physicus , et cogitans prius , et insimul existat oportet . Humanarum actionum honestas , passionum moderamen , officiorum , virtutumque exercitium , et animi tandem , propriae innocentiae conscii , pax et tranquillitas , potissima , et praecipua hominis moralis , et humanae felicitatis capita , ex physici cogitantisque hominis indole plurimum pendent . Morali homini ad felicitatem assequendam lumen , et regula est humana ratio ; media vero honestatis atque justae regulae ratione ipsa demonstratae , et ad vitae usum adhibitae .

Humana beatitudo , moralis philosophiae finis , duplex dici potest , naturalis , seu philosophica , et Christiana , seu revelata . Utraque tam in praesenti , quam in futura vita , spectari , et quaeri potest . Homo moralis Ethicam , vel jus naturae tradens , aut philosophiae moralis , atque juris naturalis dictamina , regulas , praecepta observans , praesentem vitam mente transgrediens , futuram respicere , et prospectu habere semper debet ; quae sibi sors post mortem maneat , praemia , aut poenae a Deo optimo maximo , infinitae justitiae , et providentiae Numine , homini post corporis solutionem superstiti , et tandem redi-vivo , elargienda , aut infligenda , sacrosancta esse debet legum naturalium sanctio , atque officiorum incitamentum . Qui aliter statueret , jurisque naturae , aut Ethicae objectum in praesenti vita circumscriberet , moralem philosophiam traderet Materialistarum , et Sadducaeorum schola dignam . Prima tamen , mo-

ralis philosophiae finis , et argumentum , ad secundam per se se ducit , illamque demonstrat . Lex naturae , naturaliaque hominis officia Christianae legis , officiorumque hominis Christiani fundamentum continent . Ethica praesenti humanae naturae statui , atque conditioni , hoc est , legibus physicis , atque regulis rectae rationis innititur ; fundamentis quidem a Deo ipso , naturae Auctore , positis , et certitudine praeditis . Sua ergo habet principia , et postulata indubia , quibus innititur , deducitur , et in quae tandem tota resolvitur . Corpus enim et anima existimus : humana omnia , totus homo moralis utrumque illud principium physicum ex naturae nostrae constitutione , rem Auctore naturae ita disponente , consequitur . Si puri spiritus essemus , aut si humanum corpus anima neque spirituali , neque libera et immortali informaretur ; iidemne , qui modo sunt , in duplici illa hypothese , mores , passiones , felicitas nostra existerent ? Sumus tamen , quod sumus : hominem moralem ex homine physico , ratione duce quaeramus : ea propter praesens opus *Ethica physico-rationalis* inscripsimus .

## §. V.

*Philosophiae Moralis Utilitas , atque Necessitas .*

Cum humanae vitae felicitatem diximus Ethicae objectum esse atque finem , illius utilitatem , atque necessitatem satis , superque exposuimus . Unde enim rei cujuscumque utilitas , atque necessitas statuenda ? Duo haec hominum naturae , conditioni , et statui relativa sunt . Homines singulari Numinis providentia , atque erga nos benevolentia ad felicitatem , virtute , moribusque nostris assequendam creati , in hunc votorum nostrorum scopum , et omnium humanarum actionum , finem ex innata indole , at-

que ex omnipotentis rerum auctoris intentione tendimus, et aspiramus. Ejus rei gratia brevem vitae curriculum unicuique nostrum peragrandum statuit aeterna Dei providentia. Haec dum dico Atheos, et Materialistas omnes satis excludo: apud quos quaeenam esse possunt morales virtutes, et morum honestas; dum Deum ipsum, animae nostrae immortalitatem, vitam futuram, justum, et injustum ante humanas leges inficiantur? Quae igitur disciplina doctrina, et praeceptis, scientia, et praxi et ducat, et faciat bonos atque felices; illa proculdubio omnium disciplinarum utilior, prae caeteris necessaria, singulisque praefenda. Quid enim potius bene agere, an recte cogitare? Bonum, felicemque esse, an doctorem? Sed utrumque hoc munus proprium est Moralis philosophiae, quae doctrina pariter, atque praeceptis demonstrat, statuit, et agere docet, in intellectum, et voluntatem aequae agit: intellectus veritates docetur, voluntas ad virtutes, unam felicitatis semitam, flectitur, suadetur, trahitur. Merito idcirco nuncupatur naturalis disciplina voluntatis, magistra moralium virtutum, et felicitatis assequendae ratio, et arti cogitandi, seu disciplinae intellectus respondet.

Omnes homines ea innata indole quaerimus verum, amamus Bonum. Duo haec sunt totius humanae rationalis vitae cardines, et summa. Duplici huic generali objecto respondent in animo, intellectus, et voluntas, facultas quidem re una, munere, et actibus duplex. Circa utrumque illud objectum pueri nascimur, hoc est, penitus ignorantes, alienae opis, atque ductoris indigi: cujus ductu ad verum discernendum recta ducitur intellectus, ad Bonum, et felicitatem voluntas. Duplex igitur status potest, et debet rationalis hominum, seu humani animi educatio, sibi mutuo respondens: altera quidem in

mentis, seu cogitandi, alia vero voluntatis, seu agendi: prior dicitur Logica, seu *Ars critica dirigendae mentis*; posterior Ethica, seu *scientia et Ars dirigendae voluntatis*. Sicut igitur Logica mentem dirigit, et perficit, verum quaerit, recte cogitare docet, estque idcirco philosophica mentis educatio, seu cogitandi instructio; Ethica pariter voluntatem ducit, bonum, justum, et honestum quaerit, recta agere docet, estque proinde philosophica humanae voluntatis educatio, seu vitae, et morum institutio. Utraque est partim a natura, partim etiam ab arte. Perinde ut mens humana verum in rebus semper quaerens, se ipsam humanarum cognitionum initium, progressum, videlicet examinando, primus sibi cogitandi doctor est, experientia ipsoque vivendi usu edocta, regulas cogitandi, totamque Logicam invenit, et sibi statuit: ut fuse in Logicis docuimus. Ipsa similiter humana ratio, homo ipse sentiens, et cogitans, sui amans ad bonum semper aspirans, felix, beatusque esse desiderans; dum hujusmodi objectum toto humanarum actionum vortice quaerit, omniaque ad rem inveniendum tentat, usumet ipso, molestaque tot malorum, inutiliumque rerum experientia edoctus, quid vitare, quid non agere, quid quaerendum, qua incedendum ad naturalem, quae haberi potest, felicitatem assequendam, regulas vitae, sentiendi, loquendi, agendi ediscit. Sicut igitur Logica est disciplina cogitandi ut mens humana recte cogitet, verum assequatur, prudenter statuatur; ethica est disciplina agendi, ut recta actionum honestate naturalem felicitatem comparet.

Jam vero homines educationis opus, et effectus fere tantum existimus. Factitiae, et acquisitae virtutes, et ornamenta cum intellectus, tum et voluntatis longe superant rudem naturam. De hoc tamen inferius luculenter.



Homo, ens per naturam suam relativum et dependens, ad Deum, ad se ipsum, ad alios homines refertur. Secundum singulas has considerationes, diversa sunt naturalia hominum officia: ex relatione ad Deum, religio naturalis: ex relatione ad se, libertas aut jus in se ipsum: ex relatione ad alios homines, officia naturalia hominum erga homines: ex naturali hominum indole, sunt inter ipsos constitutae primo quidem familiae, deinde societates.

Alterum etiam caput est, ex quo moralis philosophiae prae caeteris scientiis utilitas commendatur. Religionem naturalem complectitur, et docet, ad revelatam vero, seu Philosophiam moralem Christianam, in scriptura sacra contentam, per se se ducit. Hoc dixisse, non modo argumentum confirmare est; sed integram Ethicae panegyrim unica sententia absolvisse. Ita vero res est. Ethica fundamentis religionis naturalis in Metaphysica demonstratis innixa, et humanam felicitatem in natura prosequens, altius tamen, ratione ductante, elevatur, ultra rationis confinia transgrediens, divinae revelationis limen, et templum attingit: Moralem christianam sublimioris ordinis, doctrinam a longe demonstrat. Utraque haec moralis scientia amice conveniunt: prima ad secundam ducit: secunda primam confirmat. Philosophia Moralis sine religione parum efficax. Religio sine morali quid esset? Quid scilicet sine Deo vindice Religio, sine sanctione leges; nisi pulchrum veritatum systema, sola meditatione consistens? Utraque a fundamentis religionis naturalis, seu metaphysicis pendet: haec a ratione: ratio igitur ubique nos ducit, fundamenta demonstrat, ab his demonstrat et moralem; moralem demonstrando, religionem a superstitione liberat. Si criticae rationis lumen obscuretur; quid tunc? Neque fundamenta neque vera moralis, neque pura religio.

## §. VI.

*Philosophiae moralis amoenitas, certitudo,  
et cum Geometria comparatio.*

**M**undus moralis physico in quamplurimis respon-  
det: illiusque scientia physici, materialisque  
mundi contemplationi, amoenitate nequaquam ce-  
dit. Mundus physicus sensum potissimum, atque  
imaginationem; moralis vero rationem, animum, et  
moralem, si quis est, sensum percellit, et allicit.  
Qualem enim vero argumenti amoenitatem, philo-  
sopho potissimum materialis, rationalisque mundi  
cognitione instructo? Ex aeterni Numinis existentia  
Providentia, Sapientia, caeterisque attributis, ex pri-  
mitivis, universalibusque naturae legibus, ex ipsius-  
met materialis mundi, ex nostramet natura, anima-  
rum libertate, atque immortalitate in moralem mun-  
dum, ratione duce, devenire, per illum late diva-  
gari cogitando, et contemplando perlustrare! Quod-  
nam cogitanti philosopho spectaculum, universarum  
nationum constitutionem, politicum, civilemque sta-  
tum, morum, legum diversitatem! Unde hae le-  
ges, atque mores, quisnam earum auctor, quonam  
ex principio, in quem finem? Inter hasce omnes  
leges, in tanta morum, vivendi, et agendi diversi-  
tate plurima deprehendimus omnibus gentibus, et ho-  
minibus communia. Bene esse, Bonum, felicitas, com-  
munis est scopus quo respicimus. Humanitas, Bene-  
volentia, atque Beneficentia, imprimis vero justitiam  
et aequi observantiam, virtutesque caeterae ubique com-  
mendantur; dum ex adverso injustitiam, malevolentiam,  
totque alia hominum vitia innato quodam instinctu  
aversamur. Quid tamen rei sunt ea, quae dicimus  
vitia, aut virtutes? Quid actionum justitia, et in-  
justitia? Itane vocantur, et existunt ex hominum  
conventionibus voluntate, praejudiciisque nostris; an

eis ipsamet rerum natura est earum bonitas, et malitia? Si primum; nihil ergo per se se malum, aut bonum: omnia voluntate hominum definiuntur: si vero secundum; unde tandem est justi, et injusti ratio, et origo? quisnam legis naturalis auctor? Neque enim sine auctore lex esse videtur. Singulas deinde hominum virtutes, vitia passiones definire, eorum principia, naturam, vires aestimare, ultimum est hominis cogitantis oblectamentum.

His vero accedit moralis philosophiae certitudo, laus quidem paucis aliis scientiis, aut artibus communis. Ethicae fundamenta, et praecipua dogmata ejus sunt indolis, et evidentiae, ut cuicumque hominum etiam rudi proposita, ejus assensum extorqueant: quod proprius est certitudinis character. Huic quidem opponi fateor Materialistas, et Epicureos: magnum enim vero Ethicae naevum. Ita ego etiam de Ethica secundum Materialistarum sensum concepta pronuntiandum existimo. Deo enim sublato, omniaque materiam esse, nosque iterum in antiquum chaos redituros, semel statuto, unde nisi ab arbitraria hominum voluntate esse potest justam, et injustum, actionumque honestas, hoc est tota philosophia moralis? A principio autem arbitrario, mutabili, incerto quid certi, et constantis derivari potest? Perinde tamen ut geometriae non officit antiqua illa Pyrrhonicorum de rebus omnibus, atque veritatibus dubitatio, seu potius dubitationis cantilena; Ethicae etiam certitudini Materialistae universi perperam opponuntur; imo et Aristoteles etiam ipse (a) hac in parte Epicureus. De justo enim, et injusto perinde, secundum Budaeum (b) opinabatur atque Epicurus. Huetius vero inter scepticos eum etiam philosophum

---

(a) Ethic. Nicomach. lib. I. cap. V. (b) Dissert. de Scepticismo morali.

numerat (a). Morales utique Pyrrhonicæ obesse nequaquam possunt. Rem ita esse ratio demonstrat ab evidentibus principiis deducta. Quid enim? viamne dubiam ad felicitatem nobis statuit Deus? Essetne Deo dignum, imo et possibile? Natura ipsa ad indubia Ethicæ principia, ad Dei, nostri, caeterorumque hominum amorem, per se se ducit. Ad incertum autem nequaquam tendit natura. In rebus moralibus evidens rerum, idearumque connexio deprehenditur, hujusmodi connexio demonstrationem; demonstratio scientiam constituit: quin vel existentia rerum, vel materia necessaria requiratur.

Quin imo clara adeo, et certa sunt moralis philosophiæ principia, et veritatum ex veritatibus deductiones, ut haec una inter omnes alias scientias cum Geometria comparari merito possit. In utraque hac facultate sunt certa, et propria principia, definitiones, axiomata, theorematum ex theorematis deductio, problematum propositio, et solutio, inventa, aut quaesita, probabilis, aut impossibilis. Geometria a physica ejus objecti existentia nequaquam pendet; magnitudinem lineas, superficies, corpora, proportionem in se se, in earum ideis considerat, et versat: quaecumque hujus generis existunt in rebus per approximationem tantummodo sunt Geometriæ objectum. Duplici etiam methodo Geometriam tractamus, analysi nimirum, veritates geometricas in suasque elementa resolvendo, statuentes; aut synthesisi, quae est componendi methodus. Paria fere omnia in Ethica esse possunt: homines in ea, quomodo sunt, conditione, et statu physico considerat Ethica, perinde ut Geometra corpus. Utraque tamen objectum illud physicum ad ideale fere revocat, et secundum veritates de ideali objecto demonstratas,

---

(a) Foiblesse de l'entendement humain. liv. I. c. 14.

de physico deinceps pronuntiat. Scientia moralis ab existentia morum non dependet: antequam fieret primum homicidium, etsi nulla essent in rebus adulteria, furta; harum tamen actionum characterem ex veris principiis honestatis statueret Philosophus moralis. Quod si non adeo quandoque clarae videntur Ethicae, atque Geometriae demonstrationes, pluresque in primam, quam in secundam numerantur Pyrrhonicis; obvia per se se est rei utriusque ratio. Philosophiae Moralis dogmata nos maxime tangunt, proprius est humanitatis veluti fundus, sibi que admodum interesse plures existimant, si illa essent falsa: cum ex adverso de Geometriae veritatibus homines parum intersit. De rebus deinde in Ethica agitur figuris non expressis, neque ad sensum, neque ad imaginationis provinciam spectantibus. Argumentum igitur propriis saepe rationibus, genio, fervidis passionibus incommodum, et contrarium, frigido solo rationis splendore discutit. In Geometria vero sensus, atque imaginatio rationi auxilio sunt: neque privata illic nostrae voluntatis negotia, et rationes discutuntur.

Haec animadvertenti nihil negotii facessent quorundam philosophorum nomina, et difficultates ab iisdem in morum philosophiam propositae. Primi in scaenam producuntur Pyrrhonicis, et Pyrrhonismus universalis. Sed satis in Arte critica de illo mentis delirio, aut erudito mendacio diximus. Pyrrhonicorum ne nomine Geometriae demonstrationibus, aut tuaemet existentiae diffidis? Satis mihi, tibi que est, ut perinde de Ethicae veritatibus, atque de tuimet existentia dubites. Nihil amplius ad illius certitudinem desiderandum. 2. Montaigne, et Charron errores, incertitudines, difficultates in legibus, peculiari philosophiae moralis capite, passim offendi opponunt. Mille difficultatibus implicamur, ut hominis privati

officia definire, atque statuere possimus. Difficiliora adhuc sunt officia communia, seu Societatum civilium leges. Animadvertite, inquit *Montaigne*, forensem in jure dicendo rationem, et formam. Ea in iis est errorum, et contradictionum vis, ut luculentum illa sint humanae imbecillitatis argumentum. Argumentum neque Ethicam generalem tangit, de qua agimus, neque leges naturae neque jus naturale gentium, neque Ethicam proprie dictam, quae tria sunt Philosophiae moralis potissima capita: neque etiam generalem legum ipsarum theoriam, et principia. Peculiares tantum usus, et casus mille circumstantiis implexos nobis opponunt; in quibus hominum praedicia, passiones, libido, incuria, atque ignorantia omnia fere corrumpunt. Quid tamen haec ad Ethicam, et generalem actionum humanarum theoriam? Mathesis etiam in idearum simplicitate certissima cum physicis corporibus implexis scilicet objectis applicatur, plurimum jam ab evidentia removetur. Id etiam in aliis scientiis usuvenit.

At officia officiis, prosequitur *Charron*, virtutes virtutibus saepe opponuntur. Dum uni satisfacio, jus alterius laedo. Dum in bello civili in patrem, et fratrem ex adversa parte stantes obviam pro communi patria pugno, officia erga Patrem a natura ipsa in me insita perperam conculcata reclamant. Hominem animam jam agentem officia charitatis, inquit, jubere videntur conficere; vetat vero justitia. Homini laethaliter vulnerato, et media in sylva, aut via jam jam morienti ex charitate subveniendum, a lictoribus tamen deprehensus tamquam homicida in cruce suspenderis. Respondeo, in singularium hujusmodi casuum circumstantiis, haec doctrinae capita, modo ad diluendam difficultatem indicare sufficiat. I. nullam inter virtutes, neque inter officia veram oppositionem esse; licet oppositionis species nonnun-

quam videatur. 2. Inter officia vero ordinem esse, quo alia aliis praecedunt: v. g. justitiae, aut stricti juris officiis charitas, plurimaeque aliae virtutes cedunt: nihilque obligant, cum priora illa opponuntur.

Quot tamen dubia in philosophia morum non offendimus, opponit *Charron*? Hujusmodi sunt non modo innumerae fere quaestiones peculiare; verum etiam generales, quales sunt sequentes: estne contra legem naturalem polygamia, aut divortium? consanguinitas est ne matrimonii impedimentum jure naturae? quomodo etiam parentum consensus ad filiorum matrimonia necessarius? Respondeo. Aliqua esse in philosophia morali dubia, praecipue vero, si hujusmodi incertitudo in gradibus consequentiarum, et casibus a principio admodum remotis incidat; id inquam, cum generali scientiae certitudine componitur. Rem videre est non modo in scientiis minus rigorosis, sed in mixta etiam Mathesi, cum de peculiaribus rerum physicarum casibus, agitur.

#### §. VII.

#### *Specimen historicum originis, progressus, et praesentis status Philosophiae Moralis.*

**Q**uod modo summis labiis delibabimus historicum specimen Ethicam pariter, atque Jus Naturae, et gentium attinet, et ad jus publicum extenditur. Quatuor harum disciplinarum, ut eadem fere ratio, eadem etiam fuit fortuna.

Philosophia moralis, ejusdem atque physica, antiquitatis esse videtur: paria utriusque rudimenta, lentissimus per quamplurima saecula progressus, et in uno vel altero Terrae angulo, aut gente cultura: idem etiam, utriusque casus, et in antiquas tenebras inter omnes fere gentes diuturno tempore, et saeculis iterata *reductio*. Utriusque rudimenta huma-

no generi coeva nonnisi rudissima: licet primum hominum parentem ab uno Auctore Deo creatum, et rerum naturalium, et moralium officiorum cognitione a prima origine instructum existimem. Divinum ne deceret auctorem opposita ignorantiae conditio? Ut Physica sensu, ita et moralis philosophia ratione potissimum comparatur. Ex quo autem homines sentiunt, et naturales observant effectus, ratiocinantur etiam, plurimaeque de se ipsis, de propriis commodis, felicitate, mente, animo, officiis cogitant, statuunt, demonstrant. Quin imo quatenus Ethica virtutes, et mores civiles complectitur, extitit forsitan caeteris philosophiae partibus antiquior. Vivere passim homines stareque integras nationes scientiarum naturalium penitus expertes commune fuit semper estque etiam modo experimentum, et humana veluti conditio. Citra familiarum tamen ordines, civilesque societates nulla non infelicissima vivendi ratio. Quae autem societates, aut familiarum ordo, citra officia, quaenam officia sine legibus, virtutibus, et vitiis? Praeterea si verum est, sensu quodam morali praeditos esse homines, ut *Shaftesbury* pluresque alii Angli existimant, et statuere admittuntur, ex quo humana omnia officia, tota morum doctrina tamquam ex ingenito principio probentur, et fonte fluant; alterum id caput est, unde major philosophiae morali prae physica vindicetur antiquitas. Cum ingenito illo, intimoque sensu vehementius semper agantur, afficianturque homines, quam externis corporibus, naturalium scientiarum objectis. Sed morali illo sensu, re admodum incerta praetermisso, illustre veritatis modo assertae documentum suppeditat Sinense imperium. Diluvium prope tangit illius antiquitas: nullaque in terris natio est, *Aegyptiis* etiam, *Chaldaeis*, *Indianis* in scaenam productis, quae illustrem adeo, atque indubiam constituti imperii, san-



citarumque legum, et morum antiquitatem jactare merito possit. Non ex populari quodam gentis rumore, et traditionibus ex densa rerum, temporumque caligine fere semper derivante, ut fieri apud omnes gentes solet, sed ex astrorum Eclipsibus, indubiis enim vero naturae argumentis Sinensis imperii, legumque definitur antiquitas. Ex quo autem imperium, leges etiam, et mores. Antiqua sane sapiunt tempora, Sinensium legum simplicitas, morum suavitas, vivendi, agendi, loquendique urbanitas pro singulis civium ordinibus constituta, et scrupulose observata; paterna imprimis jura, parentumque, et filiorum mutua officia, non modo in singulis familiis, sed inter principem ipsum, et nationem observata: Sanctae denique morum regulae, generalia moralis philosophiae principia antiquissimis Sinarum sacris libris tradita, et a Confucio communi totius imperii magistro, et Philosophorum Sinarum principe, a 24. prope saeculis explicatius exposita moralis philosophiae apud Sinas culturae perennia existunt documenta. Praesenti quidem tempore scientiis naturalibus, imo quamplurimis artibus Sinas superamus Europaei; morum tamen doctrina, religionem modo non intelligo, humanitate, civili, urbanaque cultura longe ab illis excedimur.

Si Sinas excipias, quae omnium aliarum gentium, atque temporum ad Graecos usque philosophia moralis extiterit, fere est ignotum. Forsan nulla; si leges excipias, sine quibus nulla extare potest humana societas. Graeci, ut reliquas philosophiae partes, Ethicam etiam studiose coluerunt. Ea imprimis laus debetur Pythagorae, qui primus inter Graecos de virtutibus disputavit. Pythagoram superavit Socrates, cujus scholae praecipuum fuit semper argumentum philosophia moralis. Post communem illum Graecorum magistrum multa in Ethicam commentatus est Pla-

to; rem luculenter demonstrant decem illius philosophi dialogi de morali philosophia conscripti. Ethica Aristotelis ad nos usque transmissa, quantum in re morali valuerit, eamque promoverit Platonis discipulus, illustre est argumentum. Quis vero ignorat quid Zeno, Panaetius, Chrysippus, *Epictetus* praeclari ejusdem gentis philosophi in philosophia valuerint, et praestiterint? Mirum vero est, quod Epicurum philosophis moralibus annumerare debeamus. A philosopho Materialista, omnia materiae, casui, chao tribuente, quaenam nisi per jocum statui potest morum doctrina? Inter Graecos, quod moralem philosophiam attinet omnium maxime commendandi sunt Stoici: in quorum doctrina, paradoxis quibusdam exceptis philosophiae vanitatis potius argumentis, quam sinceris Porticus dogmatibus, sana ut plurimum morum praecepta offendimus. Inter Romanos Stoicorum etiam disciplinam imprimis illustrarunt Marcus Tullius Cicero, Philosophus alias Academicus, et Lucius Annaeus Seneca. In duobus hisce praeclaris Auctoribus reperies quidquid melius de humanis moribus agnovere, et statuerunt Romani. Commendandi vero imprimis, et morali cuiuscumque Philosopho noctu diuque versandi aurei Ciceronis libri de officiis: licet alias materiaram, ordinisque confusione laborent: neque Ethicae proprie nuncupari possint, sed varia potius Ethicae, juris naturalis, civilis, atque urbanitatis argumenta, et praecepta. Marcum Aurelium Imperatorem Romanum in praeclaris Philosophis moralibus enumerandis praetermittere nefas. Quin imo ea debet esse de tanto Imperatore epigraphe: *in utroque Caesar*. Longissimum temporis, saeculorumque spatium a Romanis ad nos usque praeterlapsum saltu quodam conficiendum. Philosophia moralis communi aliarum artium, scientiarumque naufragio disparuit.

Quaenam enimvero inter Gothos, Lombardos, Alanos, Svevos, Arabes, in Alkorano moralis philosophia? Artes, et scientiae, manu se fere tenent. Morale, aut politicum videretur paradoxon, si in communi omnium scientiarum artium ruina, morum tantum philosophia remaneret superstes. Christianae Religionis Patres, praeclara enim vero sacrarum litterarum lumina, inclinante jam Romano Imperio, in vivis agentes, in doctrina morali Christiana, sublimioris ordinis scientia, a Deo hominibus revelata, explicanda, asserenda, suadenda toti erant; parum alias de morali philosophia humanae rationis opere solliciti. Aristotelis doctrina ab Arabibus tandem in occidentalem Europam translata atque in latinis scholis recepta, cum parum Physica, reliquaeque philosophiae partes rationales colerentur, ne tantillum etiam promotum fuit Ethica. Albericus Gentilis, primus omnium post diuturnum tot saeculorum silentium de *Jure belli*, atque de *Justitia bellica* ausus est et loqui, et scribere. Cartesius nobilis ille naturalium Scientiarum instaurator, philosophiam moralem, e pulvere et cinere, quo per quindecim fere saecula jacuerat, tandem excitavit, et in litterarium orbem revocavit. Verum moralis fundamentum est physica, regula autem ratio, seu *Ars critica*. Haec duo elementa prius statuere opus erat, ut Ethica tandem produceretur in scenam. Fundamenta et viam deinceps tenendam demonstravit Des-Cartes. Philosophandi methodo sibi statuta, principiis Metaphysicae demonstratis, physicam, seu materialem hunc mundum, quantum humano ingenio fieri potest, experimentis alias non satis instructus, explicare aggressus, in hominem, tandem moralem expendendum descendit. Etsi igitur rem acu non attigerit Des-Cartes, attingendi tamen modum docuit, et unicam demonstravit viam.

Immensum fere rerum sciendarum campum, et veluti theatrum humanis ingeniis aperuerat; in quo quidem prius, ut par erat, arreptum est, quod suavius, et vehementius sensum pertingebat, materialis scilicet mundus, seu Physica, caeterarum Philosophiae partium fundamentum. Baco de Verulamio, Cartesio coevus, aliquantulum praeiverat, et de augmento scientiarum agens morales etiam disciplinas cogitavit. Haec tamen omnia erant potius hominum tentamina, rem • limine aspectantium, viamque aliis terendam indigitantium; quam in penitiora, et sacrae scientiae penetralia ingressus. Hugo tandem Grotius apparuit, et Samuel Puffendorff. Tunc vero sublatum est velum jura naturae, et gentium post se occultans; hominesque sibi ipsis antea ignoti, de semetipsis, de justo, et injusto, de societatibus civilibus, de hominum officiis, virtutibus, vitiis disputarunt. Digna adeo apparuit homini hominis scientia, nostriquemet studium; ut post Grotium, et Puffendorff, philosophia moralis definito sensu usurpata, studentium animos sensim ad se se traxerit, et fere jam evaserit dominans, ut dicitur, philosophantium gustus atque studium. Rem probant tot illustrium Philosophorum nomina non multis abhinc annis de hisce scientiis scribentium Cumberland, Barbeirac, Montesquieu, Brumoy, Heinecius, Wattel, Wolphius, Burlamaque, quibus addere etiam licet Shaftesbury, et Rousseau, in quibus aliqua recte cogitata, et probanda, rejiciendis paradoxis, sunt permixta. Cave tamen credas Ethicam proprie dictam citatos auctores sibi sumpsisse tractandam. Jura naturae, et gentium, Belli, et Pacis, aliaque argumenta iis affinia, in iis leges, pro dignitate tractata; sparsim tamen hac illac non paucas Ethicae propriae dictae quaestiones proponunt, et solvunt a scholarum, ut plurimum ariditate liberas. Plurima hujus generis in

Burlamaquii elementis juris naturae et gentium invenies concinno ordine, breviori tamen, quam tyronibus opus sit, digesta. Aliorum, qui multi sunt, elementorum philosophiae moralis recentiorum scriptorum ne nomina quidem scribo, aut opera refero; propterea quod vel levissime tantum gravissima argumenta delibant, vel ignoranda potius tradunt, quam scitu digna, et necessaria.

Habes notiores scientiae moralis scriptores: neque tamen inoffenso pede percurrendos, neque in omnibus, et ubique probandos. *Quisque suos patitur manes: optimus ille est, qui minimis urgetur, vitiis scilicet, aut defectibus.* Caute igitur fere omnes legendi; potissimum vero, cum de religione *inciderent*, aut arrepta occasione agunt. Puffendorffium per se obscurum, confusum, et parum latine scribentem, Grotiumque infinitis poetarum *citationibus*, et inutili eruditionis farragine totum opus involventem, et lectores fatigantem, translato potius a Barbeirac, quam autographos tibi legendos compara: eadem fere mea est de Cumberlandio sententia. Notissima illa regula, quod librorum in aliam linguam aliena manu translatio plurimum de autographi merito ammittit, in tribus hisce auctoribus fallit.

Novem illa Wolphii enormia volumina de Jure naturae agentia, *animosioris* curiositatis terriculamenta, salutanda potius, atque eorum compendio *commutanda*, quam temporis, et patientiae jactura *evolventa*. Illa docti hominis affectatione, materias haec Geometrarum more scribendi, et minutissima quaeque fuse prosequendi, factum est, ut argumentum per se se amoenum, atque jucundum evaderet geometricum, aridum, atque longissimi laboris.



## §. VIII.

*Duplex Philosophiam Moralem tractandi ratio:  
atque hujus operis methodus.*

**M**undus moralis, ac proinde Ethica, perinde ut  
physicus duobus modis tractari potest; a cau-  
sis ad effectus, quod est synthesis, et ab effecti-  
bus, et statu praesenti ad causas, quae est analy-  
sis, et methodus inversa. Homo moralis, humana-  
rum actionum auctor, atque principium physicum,  
spectari potest, ut esse debet, pure scilicet ut ani-  
mans cogitans, liberum, sociabile, principiis rectae  
rationis semper ductum: vel, ut reapse est, ani-  
mans quidem cogitans, liberum, mille tamen corpo-  
ris, mentis, animi defectibus obnoxium. Corpus qui-  
dem infirmitatibus saepe ad agendum impeditum, in-  
tellectus ignorantia milleque erroribus involutus, ani-  
mus vero passionibus a rectae rationis dictamine ad  
opposita semper trahitur; en hominem in mundo exi-  
stentem. Priori illa ratione spectato, commodius syn-  
thesi res agitur, omnesque humanae actiones ex  
principio honestatis generali deductae, longam veri-  
tatum seriem, atque theoriam formare possunt. At-  
que ut in Geometria magnitudines physicae ad illius  
scientiae theoriam comparantur, et reducuntur: ejus-  
que reductionis beneficio in Geometriae objecto, et  
regulis comprehenduntur; ita etiam in Ethica officia  
hominum universa, humanae actiones physico - mo-  
rales secundum veram Ethicae theoriam, et regulas  
definiri debent: eoque pacto evadunt verum philoso-  
phiae moralis objectum physicum.

Homo ratione altera spectatus utriusque methodi  
capax, utraque forsitan tractari debet. Non melius  
forsan in praesenti rerum ordine humanas actiones,  
veram scilicet Ethicam, dignoscemus, earumque in-  
dolem, et veras regulas statuemus, quam si facta

earum analysi, ad prima, et ultima principia agendi physica, et moralia perveniamus. Principio physico, moralique fine tandem invento, tum vero aut sola synthesi, aut analysi quandoque adhibita, Philosophia moralis universa aggredienda. Hoc modo humanas etiam omnes Societates, regna, imperia, cujuscumque rationis leges, naturales, divinas, aut humanas tractare, est omnia ex eorum fundamentis atque principiis evolvere.

Qualem ego viam teneam, satis jam in superioribus insinuavi. Hominem specto, qualis in natura existit. Hic nobis erit et liber, et doctor. Homo moralis ex homine physico ediscendus. Totius Ethicae summa, et veluti thema est, humanam felicitatem physico-moralem in praesenti vita possibilem hominem docere, et ex principio physico-rationali, et morali deducere. Id principium in homine quaeramus, et quo nos ducat idearum, atque veritatum ex veritatibus deductio, sequamur.



ETHICA

PHYSICO-RATIONALIS LIBERA

SEU

PHILOSOPHIA MORUM

EX NATURA HOMINIS

RATIONE NATURALI DEDUCTA

ET

SECUNDUM PHILOSOPHIAE ECLECTICAE

INSTITUTIONEM PERTRACTATA

PARS I.

*De Principio, Fine, Objecto  
Vitae Moralis &c. &c.*

§. I.

*Definitiones ad Ethicam;*

*DEFINITIO I.*

*Ethicae.*

**E**thicae nomine, a greco  $\text{ἠθικός}$ , seu  $\text{ἠθικός}$ ,  
ut jam superius diximus, translato, et strictio-  
ri sensu usurpato, eam Philosophiae partem signi-  
ficamus, quae de homine morali, hoc est, de actio-  
nibus, et moribus humanis explicandis, et ad feli-  
citatem naturalem, humana indole, et viribus obti-  
nendam dirigens, agit. Cum autem Philosophia ge-  
neratim sit *cognitio rerum per suas causas*; haec  
etiam generalis notio ad peculiare Ethicae objectum



contracta, in ejus notione intelligitur. Definiri potest *Ethica naturalis morum scientia, hominem ad naturalem felicitatem dirigens*. Quae quidem definitio fusius toto hoc opere demonstrabitur, ultimumque erit, ut ex Logicae regulis esse debet, illius corollarium.

Ex definitione per se ipsam clara, atque ex superius dictis patet. 1. Ethicam et scientiam, et artem existere. Scientiam quidem, quia est cognitio rerum per suas causas, veritates a certis principiis demonstrans: artem vero quod praecepta, et regulas morum tradat, quae ad honestam, beatamque vitam ducant. 2. A Physica, Logica, Metaphysica ex objecto ipso et fine satis distingui; quae in Ethica sunt mores, Bonum, naturalis Beatitudo. Cum iis vero in eo convenit, quod cognitio rerum naturalis per suas causas utraeque pariter existant. 3. Cum Theologia morali Christiana nequaquam confundi; prima enim sola naturali ratione de morum honestate, et beatitudine naturalibus agit: secunda in divinam auctoritatem refunditur, atque de supernaturali felicitate agit. Quodnam vero sit Ethicae proprie dictae a Jure naturae, et gentium, atque a Jure Publico, et Politica discrimen jam supra exposuimus. 4. Quodnam sit tandem Ethicae principium, objectum, atque finis.

### DEFINITIO II.

**P**hilosophiae Moralis duplex statui potest principiorum ordo: *doctrinae* scilicet, et *actionis*, seu humanarum actionum. *Principia doctrinae* in philosophia morali sunt veritates illae aut per se notae, aut alibi demonstratae, ex quibus moralia dogmata, et praecepta deducuntur, et pendent. Hujusmodi sunt quae statim tamquam postulata subjicie-

mus: *Principium* vero actionis seu omnium humanarum actionum illud est, quod illas producit, et in quod tandem omnes resolvuntur. Hujusmodi principium debet esse et physicum, et rationale; propterea quod duplex haec est actionum humanarum indoles.

### DEFINITIO III.

**O**bjectum, seu materia Philosophiae moralis sunt actus humani, omnes scilicet actiones morales humanae vitae, seu humani mores, quatenus morale aliquod existunt, boni, aut mali, justi, aut injusti, hominique proinde ad laudem, aut vituperium, meritum, aut demeritum, imputantur. Humanarum autem actionum nomine intelligimus omnia hominum facta, dicta, cogitata, quae ipsis ad meritum, aut demeritum imputantur. Cum autem imputari nequeant ad laudem, et vituperium, nisi sint liberi, libertas vero sine cognitione esse non possit; actus humani sunt *facta, dicta, cogitata* agentis ipsi libera. Atque nomine illo *cogitata* intelligo internos animi actus, assensus, aut dissensus, verbo aut facto non expressos, ab homine probatos, aut reprobatos.

Duo, ex hac notione, ab omnibus admissa deducuntur. 1. Humanos actus non esse quidquid in homine, aut ab homine fit pure mechanicum, seu physicum, quidquid citra rationis, dictamen, et liberam voluntatem agitur: cujusmodi sunt plurimae humanae vitae actiones, cogitata, dicta, facta, de quibus postea sermo erit. 2. Triplicem esse humanorum actuum ordinem, *cogitata, dicta, facta*: quorum prima per se se ab anima eliciuntur, suntque per se se libera, aut necessaria. Duo alia a facultate corporis mechanica peraguntur, eatenusque sunt libera, qua-

tenus ab anima libere probantur, aut imperantur. Opus mentis est cogitare: loqui autem, deambulare, canere, physicum musculorum munus est et actio: licet ad cogitandum physice excitetur Anima; ad motus vero mechanicos musculorum faciat etiam plerumque voluntas. Plura de iis inferius.

#### DEFINITIO IV.

**F**inis generatim est id, propter quod aliquid fit: alius est operis, alius vero operantis. Finis operis est ad quod agendum, aut obtinendum opus ipsum praecipue inservit, et dirigitur: v. g. horologii finis est mensura temporis. Finis operantis, et actionis est, quod nos ad agendum per se se movet: huiusmodi est sanitas, aut oblectamentum relatu ad deambulationem. Actionis aut agentis multiplex aliquando est finis; nonnunquam vero unicus. Si multiplex; vel singuli per se se intenduntur, quin alius ad alium ducat; vel alii ad alium ordinantur; si primum, tota eorum complexio individuus atque integer est actionis finis; si secundum, solus quidem ultimus veram habet rationem finis: reliqua utcumque etiam ad agendum moveant, cum tamen ad postremum obtinendum inserviant, media nuncupantur. Media ergo sunt illa, quae ad finem consequendum ponuntur, atque inserviunt. Qui rationabiliter agit, finem aliquem intendit, mediaque ad rem assequendum quaerit: eaque agendi ratio proprius est rationabilis causae, atque actionis character. Eapropter philosophiae moralis, quae de humanis moribus, rationabilibus enim vero actibus, tota est, aliquis proculdubio est finis, et media.

**P**hilosophiae moralis finis est naturalis hominum in hac vita beatitudo, seu humanam felicitatem, et jucunditatem docere, et facere: illud scilicet unum quod homines universim ardentem desiderant, et per totam vitam quaerunt. Cum vero et ratione, et universali omnium hominum, temporum atque locorum experientia doceamur, in una potissimum actionum rectitudine humanam naturalem felicitatem consistere posse; in id tota collineat moralis philosophia, ut humanarum actionum honestatem definiendo, praescribendo, hominibusque suadendo, illos tandem ad optatum finem manuducat, naturalem Beatitudinem. Quid rei physicae sit moralis Beatitudo, in Ethicae limine defini non debet, neque potest. In generali illius notione nominali atque ideali statim danda, primo quidem et praecipue comprehenditur Bonum, seu bene esse, et contentum vivere. Id enim est commune humanae naturae votum. Quid tamen est Bonum?

## DEFINITIO VI.

**B**onum generatim spectatum in Metaphysica id esse definivimus, quod rerum existentiae aut perfectionis, aut conservationis ratio est, atque inservit. Bonum, et Bonitas in metaphysicam, physicam, et moralem dividitur. Sed metaphysica et generali notione modo praetermissa, contractius ad rem nostram, Bonum dicimus in praesentiarum, quod ad hominis existentiam, conservationem, perfectionem, utilitatem, jucunditatem spectat. Duplex in homine distinguitur Bonum, physicum, et morale: Bonum physicum est quod physicae; Morale vero, quod in genere morum hominem perficit. Perfici

nimirum possumus corpore, mente, animo. Quod priora duo seorsim, aut insimul perficiantur, res tantum physica dici potest. Perfici animo, id verò est morale bonum, morum bonitas, Ethicae proprium. Cum vero summa morum perfectio sit, secundum rectam rationem vivere; bonitas moralis est conformitas humanarum actionum cum rectae rationis dictamine. Turpitude vero seu malitia humanarum actionum est a recta ratione difformitas. Moralis bonitatis, atque malitiae notiones aliter expositas passim leges apud Philosophos morales. Nulla tamen est, quae in nostrum sensum brevius longius non recidat, per se se quidem, dummodo quid recta ratio existat, intelligatur: de quo fuse in Logica de criterio veritatis.

Hujus definitionis occasione duplex excitatur quaestio inter morales Philosophos celebris. Prima de natura Boni, et mali, justi, et injusti, ut dicitur, primitivi. Unde enim est, et dicitur justum aut injustum, bonum aut malum? a Lege an a natura? Nihilne justum aut injustum, nisi a Lege; ita ut ante omnem legem omnia sint indifferentia: an aliqua per sese et ex natura sua sunt bona, aut mala? Altera quaestio est de notissima illa Boni divisione in bonum honestum, utile, et delectabile.

Bonum *honestum* est, quod cum regula honestatis, seu recta ratione conformatur. *Utile* dicitur, quod beneficium aliquod secum defert, licet honestum non sit. *Delectabile* tandem nuncupatur, quod jucunditatis sensum in nobis excitat. Estne tamen bonum aliquod utile, aut delectabile quin sit honestum. De utraque hac quaestione inferius erit dicendi locus.

*Bono* respondet, et opponitur *malum*: cujus notio, atque species ex notione, atque divisionibus Boni per se se dignoscitur. In Ethica malum morale

potissimum spectamus, turpitudinem; demeritum, infelicitatem secum ducens, bono morali quo ad haec omnia oppositum. Utcumque rem postea statuemus. Boni idea ad humanam felicitatem definiendam, possessio ad obtinendam necessaria est.

### DEFINITIO VII.

Naturalis hominum felicitas nominali definitione dici potest: *constans animi gaudium naturae viribus partum ob possessionem Boni citra ullum fastidium*: seu brevius, *naturalis perfectae voluptatis status*. Hominem perenniter contentum dicimus felicem. Status nomine constantem felicitatis durationem intelligo: per temporis intervalla esse contentum, ad beatitudinem non sufficit. Perfecta vero voluptate excluditur omnis mixtura mali, incommodi, molestiae, doloris, timor, dubium, desiderium, similesque alii animi affectus aut passionis, quae animi serenitatem, et gaudii perennitatem turbant. Ex definitione igitur, atque ex nostra hominum conditione satis liquet, perfectam beatitudinem naturalem esse impossibilem. Imperfecta igitur felicitas, major scilicet illa, quae naturae viribus existit; verum est Ethicae objectum. Humana idcirco felicitas dividi potest in absolutam, et relativam. Prima esset vita omni ex parte beata, quae in definitione intelligitur, in eaque tantum existit. Secunda in vita praesenti sola possibilis, est major, minorve ad perfectam felicitatem accessio; et innumeros habere potest gradus, cum ex infinitis fere capitibus crescere, minuique possit: perinde ut infelicitas illi opposita. Et haec quidem de nominis significatione. Quid vero physicum, et morale humanam felicitatem naturalem constituat: quinam homines dici possint in hac vita felices, postremum erit Ethicae caput atque definitio.

*Postulata philosophica Ethicae praemittenda, et in  
Arte critica, Physica, et Metaphysicis  
demonstrata.*

**P**hilosophiam moralem scientiam esse diximus, rem postea probaturi: ex certis igitur principiis evidenti connexionione veritates morales deducere debet. Horum aliqua Ethicae peculiariora, demonstranda sunt; caetera vero in aliis philosophiae partibus, quarum sunt propria, jam demonstrata, in Ethicae limine poni tantum debent, tamquam postulata, aut hypotheses aliunde demonstratae, quibus non intellectis tota corrueret moralis philosophia. Pono igitur sequentia.

*Postulatum I.* Evidentia est criterium veritatis: imprimis vero evidentia rationis, quae est omnium maxima, et sola fere in Ethica locum habet. Rem fuse in Logicis demonstratam merito in Ethica postulamus. Res eo collineat, ut cum Pyrrhonicis, si qui reapse sunt, omnis modo praecedatur disputatio. Hos tantum rogatos volumus, et libenter damus, ut perinde de lege naturali, caeterisque veritatibus in Ethica demonstrandis dubitent, atque de suimet existentia. Quid enim? Omnia secundum illos sunt dubia.

*Postulatum II.* Est Deus Principium aeternum, et Finis omnium creaturarum. Nisi Numinis existentiam omni demonstrationum genere constantem, ponamus, Tullio ipso ethnico Philosopho fatente, nulla est vera actionum honestas, et morum philosophia: si pura materia existimus, a chao evoluti, in chaos iterum solvendi; quid tum vero mores, honestas, conscientia, lex naturalis? Inter Atheistas verane esse potest virtus moralis, et actionum honestas? Quaestio inferius disputabitur.

*Postulatum III.* Inter alias aeterni, atque unici universitatis rerum auctoris perfectiones, est etiam de omnibus universim creaturis, generalis Providentia. Nisi hoc Numinis attributum, alibi demonstratum, in Ethica, tamquam fundamentum, intelligatur, tum vero sublata poenarum, praemiorumque sanctione, neque lex naturalis amplius staret, neque ulla ratio homines ad honeste vivendum satis moveret: ipsaque tandem honestas, hominum officia et virtutes pura essent nomina, et sine objecto vocabula.

*Postulatum IV.* Humanarum animarum immortalitas aliud est Philosophiae moralis fundamentum, in primo ejus limine ponendum. Eam immortalitatem, atque vitam futuram mente parumper tolle: tota agendi ratio esset arbitraria praepotentium voluntas: quae post mortem homines manent, potentes aequae atque debiles, divites, et pauperes aequae deterrent, aut alliciunt. Haec nos fugientes sequitur semper cura, cingit, et fraenat sollicitudo.

*Postulatum V.* Humana libertas aliud est necessarium moralis philosophiae fundamentum. Si fatali necessitate humana omnia fluerent, et ponerentur, nullaque in homine esset activa agendi libertas, nullum tum vero meritum aut demeritum, nulla moralis virtus, atque actionum honestas. Quae enim machinae cogitantis, et sentientis fatali, et occulta necessitate abreptae, possent esse morales virtutes; dum nullum sibi est suarum actionum dominium neque consilium, imputatio, aut meritum? Utrumque caput, libertatis existentia, atque ad meritum, et demeritum necessitas, fuit in Metaphysica demonstratum. Cum humanae libertatis veritatem postulo, omnes voluntatis actus liberos esse non intelligo. Plura libere, plura etiam necessario et volumus, et agimus. Et hae quidem veritates, luculenter alibi demonstratae, necessaria sunt Ethicae



postulata, et doctrinae fundamenta quibus innititur morum philosophia, ita ut iis deficientibus tota penitus corrueret.

Ad intrinsecum modo, et magis proprium vitae moralis seu agendi principium physicum, rationale, et morale deveniamus; unde mores officia, virtutes, imo, et humanae omnes actiones fluunt, et producuntur. Quaecumque sit, et statuatur hominum felicitas; haec proculdubio in vitae humanae exercitio physico-rationali, atque morali consistit. Quid autem est vivere, nisi agere? Quid vitae exercitium, nisi humanarum actionum physico-moralium complexio totam hominis vitam componentium? Unde vero melius definiuntur, atque explicabuntur effectus, et actiones, quam ex ipso intrinseco agendi principio, atque effectuum causa? Veram enim scientiam, et sublimem philosophiae partem modo versamus; scire autem, et philosophari est, res atque effectus per suas causas, et principia dignoscere: causa vero, et principio cognitis, rem totam ab iis deducere.

### §. III.

*De principio generali humanarum actionum, seu totius vitae moralis, homines ad agendum et felicitatem sibi procurandam intrinsecus ducente, et impellente.*

**H**umanum vivere, omnes actiones humanae ali- quod habent principium, finem, regulam. Ali- ter neque actiones essent, neque humanae. De re- gula, et fine statim. Principium modo quaeramus. Humanae actiones tria respiciunt objecta, Deum, nosmetipsos, caeteros homines: Creaturae Dei sumus, homines liberi existimus, in societate, atque ad so- cietatem vivimus. Quodnam nos ad triplicem hunc officiorum ordinem, humanas omnes actiones com-

plectentem, impellit internum, et naturale principium?

Non idem est moralium Philosophorum sensus atque loquendi modus circa rem praesentem. Fuit qui naturalem mutuum timorem, communeque omnium adversus omnes bellum primitivam, atque innatam esse hominum conditionem et statum existimaverit, indeque omnes universim leges, atque officia derivari. Paradoxi auctor Hobbesius, Philosophus Materialista, primos homines in sylvis, perinde atque fungos, et arbores natos, solivagos, crescere, vivere, aliosque aliis casu occurrentes, se se mutuo fugere, aversari, timere, impetere, occidere statuit; quoad tandem mutui mali experientia docti, in conventiones, amicitias, societates devenerunt, legum omnium, atque officiorum *primordia*. Hoc retulisse ad rejectionem satis. Homini Materialistae, vel Tullio ipso statuente, sacrum esse debet moralis philosophiae limen. *Nullus theismi expers huc intrato*, illa debet esse epigraphe scholae *superliminari* insculpenda. Hypothesis vero illa hominum in sylvis, fungorum plantarumque instar, nascentium, ingeniis aliquot amoenioris potius literaturae, quam profundae scientiae cultoribus adeo placens, dignum poeti, atque poculis argumentum, ridendi tantum gratia inter Philosophos agitandum.

Idem de aliis Materialistis esto iudicium, qui humana omnia a sensu repetunt, sensum existere, et in sensum resolvi docent: sensibilitate idcirco, et sensu nos semper agere, et generale hoc esse agendi principium, unde omnia, et in quod omnia humana officia resolvuntur.

Opposita omnia sentit, et statuit *Cumberland*; Hobbesiique sententia de mutuo timore, et bello, luculenter rejecta, mutuam benevolentiam, et pacem, et amicitiam existimavit hominibus innatam, et primam naturae legem, et humanarum actionum

fundamentum. Puffendorff (a), et alii amorem sui, et mutuam benevolentiam, seu sociabilitatem statuunt hominibus innata, et actionum humanarum fundamenta, et primitivos fontes.

Barbeirac triplici officiorum ordini triplex agnoscit naturale fundamentum humanae naturae insitum: officiorum erga Deum, religionem; erga se ipsum, amorem sui; erga alios, mutuam generalem benevolentiam.

Secundum Heineccium, Coccejum, et plures alios una Dei voluntas est, et statui debet humanarum actionum principium.

Sed cum aliqua esse intrinsece mala, aliqua etiam intrinsece bona recte agnoverit, et posuerit Divus Thomas, infinitique alii, et postremis hisce temporibus Grotius, Leibnitius, Clark; primaque illa a Deo prohiberi, quia mala sunt, secunda vero juberi, et praecipii, quia bona; communis inde evasit illa Stoicorum sententia, naturalem virtutis honestatem merito statui primum actionum fundamentum naturae inditum.

Neque desunt nostra hac aetate, quibus *utile* statuitur *justi prope mater et aequi*, omnesque humanae vitae actiones *in amorem proprium*, et propriae utilitatis prosecutionem resolvunt; eumque existimant primum, et universale agendi principium. Quid vero utilitatis, et amoris proprii nominibus intelligatur, inferius dicetur.

Ex diversis hisce hominum sententiis circa primam naturalem legem, et actionum principium perperam deduceretur moralis philosophiae incertitudo. Etsi enim de actionum principio non conveniant; omnibus tamen (Materialistas semper excipio) commu-

---

(a) Elem. Juris univ. pag. 431. et seqq., licet lib. 2. de lege nat. sociabilitatem tantum ponat.

nia et sancta sunt doctrinae principia recta ratio, naturalis honestas, supremi Numinis voluntas.

Claritatis igitur gratia, tria in quaestionis limine distinguenda. *Principium intrinsecum agendi*, seu actionum humanarum, *principium obligationis extrinsecum*, et *principium dirigens*, seu *regula actionum*, justum ab injusto, bonum a malo discernens. Principium agendi dico, quo intrinsecus impellimur ad agendum, et unde actiones ratione physico-morali veluti fluunt. Principium obligationis mihi est, a quo volentes nolentes ad bene agendum morali quodam vinculo, physicam libertatem plerumque non laedente, adstringimur. Regula tandem actionum est lumen illud nobis indicans, atque dictans, quid justum injustumve existat; quidnam esse, et agere debeamus erga Deum, erga nos, erga alios homines.

Regula seu principium haec dirigens, omnium confessione aliud esse nequit, nisi recta ratio, naturale illud lumen homini a Deo datum, ut perpetua existat totius vitae facula, omnesque humanas actiones praecedat, commitetur, et consequatur. Inter principia obligationis primum est voluntas Dei, Legislatoris omnipotentis, aeterni, necessarii. Estne etiam virtus, et naturalis atque intrinseca rerum, et actionum honestas verum obligationis principium? Non me latet, principia obligationis dici etiam posse principia agendi. Magnum tamen interest discrimen inter intrinsecam impulsionem physico-moralem, et legem externam et quidquid ratione tantum allicit, et movet voluntatem.

Relata utriusque ordinis principia, voluntas Dei, amor sui innatus, universalis Benevolentia, Religio naturalis, et generatim omnia rationis naturalis dictamina leges naturae merito nuncupantur. Quaestio solum est, aliqua ne ex hisce naturalibus legibus sit

primum, et universale agendi principium ad omnes actiones nos semper excitans, et naturaliter impellens.

§. IV.

*Dico igitur primo: in homine, animante nimirum physico-rationali, morali, certum aliquod esse debet omnium humanae voluntatis actionum universale principium, finis, objectum iisdem actionibus proportionale.*

**I**n homine, mirabili illo naturae opere, ex anima cogitante, et corpore organico composito, tria distinguimus generalia munera, et actionum ordines inter se admodum differentes corporis, rationis, voluntatis. Primi quidem pure physici ex ingenio animatae machinae, et circumstantium naturalium causarum viribus peraguntur. Ejus ordinis sunt circulatio sanguinis, respiratio, pluresque alii motus partem vitae pure mechanicam constituentes. De hisce eorumque principio, quod pure physicum est, fuse disputatum in Physica viventium. Reliqui duo, physici etiam sunt, quatenus reapse existunt, sed ad sublimiorum cogitationum, moraliumque entium classem spectant. Cogitandi facultatem, philosophandi principium a nostraemet existentiae cognitione originem ducere in Metaphysica confecimus. Tertius superest actionum voluntatis ordo, hujus loci tantum proprius: quo quidem nomine intelligo quidquid voluntario agimus. Hae vero actiones ita physice eduntur, ut nonnisi ratione duce a voluntate eliciantur: aliae quidem liberae, aliae vero necessariae. Universas hujusmodi actiones totam vitam moralem, et rationalem constituentes in propositione intelligo. Propositio per se se manifesta a nemine in dubium vocata ex voluntatis, actionumque indole descendit. Totum humanum vivere, sensu exposito

usurpatum, est agere, et quidem voluntario agere; nulla vero actio absque principio illius naturae proportionali. Rursus voluntatis indoles est, finem aliquem agendo intendere, propter rem aliquam obtinendam agere: in eamque scopum mente praevisum actiones dirigere, quae per se se ad eum ducant finem. Cum voluntario deambulamus, cum animi oblectamenta quaerimus, cum virtutis actum exercemus, aut vitiosi aliquid committimus; agendi principium adest, finis intenditur, objectum versatur.

Existitne vero, quodnam, et quale est, huiusmodi principium? Rem ipsam educendo, hominem penitus inspiciamus. Quando quidem in homine ipso, et intrinseca illius constitutione physica, rationali, et morali insunt, et latent principium et regula agendi, naturales leges physicas, rationales, morales secum ferens, atque demonstrans: eaque propter

*„ L'etude plus propre al' homme est l' homme meme*

*„ Quel melange etonnant, quel etrange probleme!*

Duplex in homine existit insita et naturalis facultas, vel potius duplex ejusdem facultatis, seu spiritualis animae, intellectus, et voluntatis exercitium, quo a caeteris animantibus dignoscitur, illa longissime supereminet, et sublinem sibi perfectionem comparat: prima cogitandi, et sciendi: altera vero volendi, et agendi. Cogitando quaerimus semper verum, omneque humanum sapere, scientias, artes comparamus; agendo in bonum tendimus, in felicitatem collineamus. Cogitare et libere agere: en totum hominem rationalem, atque moralem. Tota illa humanarum cognitionum series, et infinita complexio, philosophiae nomine dicta, cogitando, et ratiocinando comparata, aliquem habet ordinem, vel Pyrrhonicis confessione certum, unde mens humana filum ducat, et alia ex aliis ob idearum, rerumque connexionem argumentetur. Id vero totius cogni-

tionum seriei fundamentum, est nostrimet cogitantium, et existentium cognitio et conscientia. Me cogitare, et esse, mihi conscius existo; en cognitionem, quae a nulla alia derivans, in causae causarum ideam, et existentiam, me sponte deducit; illius sapientiam, bonitatem, providentiam demonstrat. At per Deum infinite bonum, sapientem, providentem fieri nequit, quin nobis infuderit certam verum, et bonum discernendi regulam. En nos igitur ad humanarum cognitionum criterium, evidentiam scilicet rationis, moralem, et sensuum deductos: secundum quae humanas omnes cognitiones dijudicare possimus. Deus igitur optimus maximus summo providentiae, et bonitatis beneficio, praeter intelligendi facultatem, insitum nobis esse voluit, atque semper praesens cognitionum principium, et aculeum, ad Deum ipsum, naturalem religionem, moralia hominum officia, artes, scientias cognoscenda, et colenda necessarium. Eademne est principii atque fundamenti humanarum actionum conditio? Si ita est, tunc summo Numinis beneficio, humanarum cognitionum, et actionum fundamentum, et principium a Deo habemus nobis insitum, et semper praesens, ad recte cogitandum, bene agendum nos semper excitans, alliciens, urgens. Illud indubium est, ardorem quemdam et amorem veri, et boni, cognoscendi verum, fruendi bono, vitae rationabili atque hominibus esse innatum. Sicut igitur cognitio sui, *nosce te ipsum*, omnium humanarum cognitionum, vitaeque rationalis principium et fundamentum est; ita et amor sui, a Deo inditus, rationabilis, honestus, et nobis semper et ubique intimus, erit pariter datum a Deo humanarum actionum, totiusque moralis vitae principium. Tum vero cognitio sui, amor sui, se cognoscere, se amare, amor cognoscendi verum, et fruendi bono duplex dicantur oportet naturales, et

innati cogitandi, et agendi, vitae rationalis, et moralis, nostrarum omnium cognitionum, et humanarum actionum cardines et principia necessaria aequae, atque individua. Quid enim unum sine altero? qui se non amaret, quomodo ageret? qui non cognosceret, quomodo ad felicitatem contenderet, verum bonum, ab apparenti distingueret? sicut igitur illud *nosce te ipsum*, cognitio sui primum caput est omnium cognitionum naturalium, et philosophandi primum principium, ita et *ama te ipsum* prima est naturae Lex, et omnium humanarum actionum principium hominibus a Deo inditum.

Sed quid? Amorem sui ad omnes humanas actiones, virtutes et officia excitare, in omnibus deprehendi, et partem aliquam habere, ad virtutes etiam et actiones heroicas adducere, cum morum honestate semper componi, et turpem *egoismum* per se se non ferre? Rem examinemus.

§. V.

*Amoris sui naturam, et indoles ad principium humanarum actionum relata.*

Intimae illae animi affectiones, amor vulgo dictae, quibus bonum, nos respiciendo, prosequimur, *amor proprius, vel amor sui* nuncupatae, specie quidem unum idemque esse apparent: re tamen duplex amoris genus existunt, admodum inter se natura, fine, atque motivo diversae. Amor sui est affectio naturalis et rationabilis, qua homo ad sui conservationem, perfectionem, verum sui bonum, et felicitatem stimulatur. Cum verum bonum sola ratio discernat, vel ad omnia moralia officia per se se ducat; quocumque in statu homo existat, quidquid agat, loquatur, velit; naturali hoc sensu semper stimulatur; licet contra semetipsum, sui amo-



rem, et rationem ex libertatis abusu saepissime operetur.

*Amor proprius* est sensus amoris relativus, quo homo se se potissimum agendo respicit, omnibus aliis praefert, propriamque utilitatem prae omnibus aliis quaerit, et prosequitur. Hujusmodi amor, et quae ex illo procedunt humanae actiones, res sunt factitii, et socialis status fere propriae: atque in vitiosum libertatis usum, sensuumque illecebras et *aculeos* referenda. Amor proprius utilitatem solummodo respicit, parum de honestate scrupulosus, sensu semper agit, inconsulta ut plurimum ratione, aut despecta, omnia ad se se, tamquam ad centrum referens, suarum actionum est principium, finis, et motivum. Qui igitur per fas, et nefas se ipsum potissimum, agendo, respicit, amore proprio agit, et agitur: atque Egoista vulgo nuncupatur, hominibus non minus, quam Deo odiosus.

Alia longe est *amoris* sui indoles, atque conditio; honestatem imprimis prosequitur: quaecumque cum honestate jungatur utilitas; scrupulosus rationis pedisequus, contrariis saepe superatis sensuum blandimentis, non alia omnia sibi, sed se se saepissime ad alia objecta referens, aliorum gratia, fine, et motivo agit, sui tamen latenter memor, aut non omnino oblitus. Verbo dicam, *amoris proprii et amoris sui* regulae sunt, primi quidem sensus, secundi vero ratio. Amor proprius se se in prospectu semper videt claro lumine depictum, honestatem vero inter umbras. Amor sui honestatem in prospectu semper habet, seque ipsum ab honestate manuductum.

Et haec quidem utriusque amoris indoles, et natura. Quod si amorem proprium velis etiam amorem sui dicere; tum vero amorem sui generatim acceptum, in amorem sui sensibilem, et in amorem rationabilem dividemus. Hunc quidem, rationi sem-

per conformem, purumque ejusdem dictamen, amoris sui proprie dicti nomine ubique intelligemus. Ille vero, concupiscentiae, et propriae utilitatis nuncupatus, amor proprius hactenus expositus existit: hujusmodi amor, rationem, et honestatem parum curans in hominibus rationis usum jam adeptis, aliud non est, quam amor sui vitio nostro corruptus, rationabilis amoris inversio, in sensuum oblectamenta, et objecta deflectens.

Amor sui hucusque expositus statui ne potest totius Ethicae, seu humanarum actionum, et virtutum principium? Solvetur quaestio, si principii conditiones dignoscantur, easque in amore sui demonstremus. Jam vero principium, de quo impraesentiarum agimus, debet primo certo existere. 2. Naturalem, et innatam esse hominis indolem, seu naturae legem. 3. Ab alio anteriori principio, lege, seu humana actione non deduci. 4. Sed potius ad omnes humanas actiones nos ita impellere, ut voluptate agat, agendoque se se semper aliquo modo respiciat homo, tandemque in tota humana vita eo principio nos semper agi, et agere: ad virtutes morales universas, ad honestatis apicem, atque heroismum incitari, ab egoismo avertere, ad benevolentiam erga homines, amorem, et religionem erga Deum nos duci, atque stimulari. Si haec omnia amoris sui indoles existunt; soluta plane est quaestio: duoque illa, *nosce te ipsum, ama te ipsum, cognitio sui et amor sui*, singulari Numinis beneficio et providentia hominibus indita, nostrarum omnium cognitionum, et actionum, hominis cogitantis, et agentis, seu rationalis et moralis, cardines existunt, bases, et principia.

Jam vero expositas conditiones amoris sui proprias esse, examinandum superest: ut universale principium esse statuatur, ita homines ad agendum im-

pellens, ut ad omnia humana officia, et morales virtutes idcirco nobis sint ratio quidem regula dirigens, amor vero sui principium impellens.

Caeterarum vero hominis actionum commune principium est amor proprius. Nullaque idcirco est humana actio, in qua se se aliquo modo non respiciat homo: amor sui a Deo inditus, ad omnia honesta, virtutes, veram felicitatem semper impellit: idemmet amor sui voluntatis vitio corruptus, falsa ratione ductus, et in amorem proprium degenerans, ad vitiosa omnia, falsaque bona impellit.

Secundam hanc partem luculenter evincit intimus nostrum omnium sensus. Primam vero, amoris sui indoles, principii conditiones, virtutum analysis, ipsiusmet amoris Dei supernaturalis cum naturali benevolentia, et virtute comparatio, sacra etiam, et divina testimonia demonstrant. Utramque vero confirmant physicae naturalium omnium corporum leges, et totius humanae vitae veluti tabula. Ad rem veniamus.

#### §. VI.

*Amoris sui indoles, et efficacia in humanas actiones.*

**S**icut ratio est naturale illud lumen, praecipuum humanae naturae caput, hominibus a Deo inditum, ut viam in media rerum obscuritate demonstraret, bonum, et felicitatem veram ab apparenti discerneret; ita et Numinis ipsius beneficio inditum natura habemus, nosmetipsos amare, verumque et rationabile bonum, voluptatem, et felicitatem quaerere. Ad se se amandum unusquisque nostrum naturae lege, instinctu, ratione impellimur. Jam vero huiusmodi amor certo existit, adest semper nobis agentibus praesens primaque est, sin minus dignita-

te, exercitio sane naturalis lex, naturae genio, instinctu, ratione obligans, atque impellens. Hominemne aliquem concipere potes se se non amantem? Id enimvero esset rationale monstrum, malum Manichaeorum principium perfecte sapiens. In ipso etiam suicidio amorem sui ex falsa quidem apparentis boni idea conceptum, verum tamen amorem ad evidentiam usque inferius demonstrabo. 2. Nullius humanae naturalisque causae, nullius nostrae actionis effectus est nostri amor. Inditum id a Deo habemus: itaque ab illo comparati sumus, ut datae nobis a Deo naturae necessitate nostrimet esse conservationem, perfectionem, bonum desideremus: quod ipsum est, se se amare. Est igitur nobis ingenus, naturaeque nostrae pars. Principium est igitur certum: quomodocumque comparentur, aut innatae irradiant ideae, se se amat homo. Ab hypothesis dubia non dependet, per aliud antecedens non probatur. Quin imo. 3. Amor sui, aut a Deo nobis inditus, rationabilis, sanctus, qua solum ratione est Lex naturae, aut vitio nostro corruptus atque inconsultus ad omnes humanas actiones nos sponte impellit: primo quidem sensu ad naturalium omnium virtutum exercitium, ad passiones ipsas moderandum, declinanda vitia, ad regulam morum inveniendum, eam tenendam, virtutes colendas nos tandem ducit: secundo modo ad bona tantum apparentia, ad vitia, et oblectamenta sensuum. Hanc doctrinam pro dignitate explicare, esset totam morum philosophiam evolvere. Rem indicare in praesentiarum satis. De caetero integrum hoc opus illius thematis explicatio erit, atque confirmatio. Vitia generatim omnia in malum aliquod nos deducunt, illudque secum deferunt morale, rationale, aut physicum, virtutes, laudem, meritum, praemia, re obtenta, aut spe concepta hominibus comparant:

animi affectibus aut animi honestatem, aut sensuum oblectamenta, hoc est, bonum honestum, utile, aut jucundum quaerimus: quid autem animi passiones nisi affectuum constans vehementia ut inferius conficiemus? Regulam vero honestatis morum invenire, eam probare, moribusque ipsis tenere, quid tandem est, nisi bonum quaerere, laudem meritumque sibi comparare? hoc est, se ipsum amare? Haec igitur omnia, totius moralis philosophiae cardines, in amore sui, principium habent; te enim vero constanter, sincere, ardentem amas; quid ab hoc rerum themate? Tota humana vita, universa hominum cogitata, dicta, actiones pura sunt ejus principii evolutio, et consequentia effectus. Tibi ipsi mente statue humanae vitae prospectum, et a cunis ad sepulchrum usque cogitationum, volitionum, actionum gradationem. Ab ipsis infantiae crepundiis, in quibus una sensuum oblectamenta nos alliciunt ad perfectioris rationis statum humanum vivere est continua actionum series, quibus bonum nobis, utile jucundum, aut honestum, praesens aut praevisum quaerimus.

In omnibus humanis actionibus, virtutibus, vitiis, in passionibus ipsis atque affectibus se ipsum respicit homo, et nonnihil amoris sui semper inest. Quidquid anima sentit, omnes passiones, et qualitates in anima physicae spectatae reducuntur ad gaudium, et dolorem: omnia sunt duplicis hujus sensus modificationes. In genere morali hisce etiam ducimur; gaudium, et dolor physicus sunt morum principia: sed vitando dolorem, voluptatem quaerendo nosmetipsos non quaerimus, et respicimus, nostrique amore ducimur? Singularum passionum, virtutumque analysim inferius daturi, leve tantum specimen modo afferamus. Quid eleemosynae actus honestius? Quid tamen, si ab amore sui ad eleemosynam

faciendum excitemur? Misello, ulceroso, pannoso-  
 que homini ostiatim mendicanti, ut vivat; honestae  
 virgini, aut matronae miseram vitam ab hominum  
 commercio semote sustentanti, ut honeste vivere  
 pergat, eleemosynam facis. In diversis hujus virtu-  
 tis actionibus haec menti obversantur, et animum  
 flectunt. I. praemium actione longissime majus a  
 Deo in praesenti, vel futura vita accipiendum, laus  
 saepe et commendatio male inde apud homines quae-  
 sita, dulcis quidam reddendae gratiae pro collato be-  
 neficio animi sensus, a molesta saepe importunitate  
 liberari, nosmetipsos ab interna animi afflictione ob-  
 tantarum alterius hominis miseriarum conspectum le-  
 vare: ut nihil dicam de interno illo, quo perfundi-  
 mur, gaudio, ex intima beneficentiae, potentiae,  
 conditionis nostrae conscientia profluente. Hisce o-  
 mnibus adde sensum illum, quem circa eleemosy-  
 nam ab educatione hausimus, religione, ratione,  
 exemplo confirmatum, et in naturam fere conver-  
 sum. Animum parumper concipe hisce omnibus va-  
 cuum: nulla a Deo reddenda speretur merces, laus  
 nulla, et commendatio, nihil pensi habeas animi  
 gratitudinem; ferreum pectus tot miselli afflictiones  
 nequaquam tangant: uno verbo, nihil boni ex illa  
 actione tibi speres, nihil molestiae ex illa negata  
 timeas. Eleemosynam ab hujusmodi homine sperare  
 spes esset in Kalendas Graecas explenda.

5. Ex adverso autem Amor sui in nullum aliud  
 resolvitur morale, aut physicum elementum. Se se  
 amare non modo hominis, sed cujuscumque creatu-  
 rae amoris et affectuum capacis indoles naturalis est:  
 conservari, perfici, bene esse, sponte nostra, et per  
 naturam nostram, atque essentiam quaerimus: essen-  
 tia autem suarum quidem actionum, et affectionum,  
 principium est, nequaquam vero effectus in ipsismet  
 actiones resolvendus, aut ab iis derivandus.

6. Omnes humani actus, ut de iis tantum loquamur, de quibus difficultas aliqua moveri posset, omnes humani actus boni, aut mali a lege aliqua praescribuntur, aut vetantur. Efficacia legum animum tandem flectens, a timore penae, aut praemii amore in praesenti futurave vita obtinendi tota est. Si a servatis, fractisve legibus nihil speres, aut timeas; si ab honesta actione laudem omnem, meritum, boni alicujus tibi proventuri spem omnem tollas; quid tum illae nisi cantus surdis factus? Timor ipse, totaque timendi ratio est suimet amor. Cur enim vero tibi times, et pericula fugis nisi quod te amas? Praemio etiam duci, est purus putus Amor sui: a primo igitur ad ultimum cujuscumque legis observantia, hoc est omnes morales actiones, in amore sui, tamquam in principio innituntur.

Sed ne timida alicujus Lectoris pietas Religioni vertat, quam proponimus, et examinamus doctrinam; illum ad sacra Religionis penetralia, et sancta sanctorum adducamus. Numen ipsum, ut a ratione paulisper ad auctoritatem digrediamur, ut a vitiis homines liberos avertat, ad virtutem vero excitet poenas semper et praemia ob oculos proponit, illa ubique inculcat, iis animos deterret, et allicit. Poenarum, praemiorumque in legibus, consiliisve suadendis propositorum pleni sunt sacrae paginae libri. Plurima quidem in praesenti vita, plurima etiam post mortem infligenda, aut donanda promittuntur. Neque ad publicam divinarum legum observationem, sed ad privatas, et occultissimas virtutum actiones remotis testibus peragendas, eo a divino Legislatore suademur, *quod Pater vester coelestis, qui videt in abscondito, reddet vobis*. Adeo verum est, amore sui hominem semper adduci, quod Deus ipse nostrimet auctor cui humana omnia, actiones, virtutes, earum principia, et fi-

nes sunt clarissime prospecta, hominem liberum ex ipsomet amore sui ad bene agendum excitat. Sancta haec a Deo ipso habemus: *Fac quod placitum, et bonum est in conspectu Domini, ut bene sit tibi.* (a) *Quid Dominus Deus tuus petit, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, et servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, et in tota Anima tua: custodiasque mandata Domini, et caeremonias ejus, quam ego hodie praecipio tibi, ut bene sit tibi* (b). Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, et caecos: et beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione justorum (c) Quid? si cum ipsam orandi rationem homines docuit divinus humanae salutis auctor, se se respicere voluit, veramque beatitudinem a Deo flagitarent? Quid enim haec, *adveniat regnum tuum, panem nostrum quotidianum da nobis, dimitte nobis debita nostra, libera nos a malo?* Quid tandem? Christus Dominus in divino illo de *beatitudinibus* sermone homines pauperes spiritu, mites, justos, misericordes, pacificos, mundos corde, patientes propter justitiam dicit beatos, eoque de capite ad ejusmodi virtutes comparandas, atque exercendas monet, et suadet, quia talium est regnum coelorum, quia misericordiam consequentur, Deum videbunt, filii Dei vocabuntur. *Haec inquit agite, sic vivite itaque agentes et viventes, gaudete et exultate, quia merces vestra magna est in coelo.*

Neminem latet, legitimo atque probato Catholicae Ecclesiae judicio damnatas esse sequentes pro-

(a) Deuteron. Cap. XII. v. 25. et 28.

(b) Deuteronomii, cap. 10. v. 12. et 13.

(c) Lucae cap. 14. v. 13. et 14.



positiones; etsi ab homine assertas doctrina, pietate, ingenii amoenitate nulli secundo: 1. *datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, et sine ulla mixtione motivi proprii interesse; neque timor poenarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando.* 2. *In statu vitae contemplativae, seu utilitativae omittitur omne motivum interessatum timoris, et spei.* 3. *In statu sanctae indifferentiae nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti, et beati propter interesse proprium; sed omnem perfectionem, ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suae gratiae.*

Haec attigisse, Stoicorum christianorum gratia, Philosopho christiano oportuit, et satis est. Si honesto praemiorum amore, poenarum metu, Deo ipso auctore, ad sublimiores, christianas, supernaturalesque virtutes excitamur; puriorne erit philosophica agendi honestas, quam revelata ratio? Sublimiorane philosophica theologica, humana divinis, naturalia supernaturalibus? Si homo ex supernaturali charitate, et amoris purioris actu, quo potest Deum amando, se ipsum etiam respicit, quidni de moralium virtutum actibus sola natura humana elicitis? De quibus in praesentiarum tantum loquimur.

Sed a sublimitate Religionis revelatae ad inferiora haec descendamus, a divinis ad humana, et naturalia. Hactenus dicta ex physicis rerum legibus, et humanae vitae ordine et conditione demonstrantur. Mundana omnia circumspecte: physica est naturae lex, quod res omnes se se conservare, et perficere adnituntur. Haec lex naturalis in rebus etiam

cognitionis, sensus, nutritionis expertibus locum habet. Id vero demonstrat constans semper et perennis mundanae Machinae constitutio; propria corporum indoles, atque inertia: quam physicam esse naturae legem in physicis demonstravimus. Vegetabilia universa ad propriae speciei perfectionem tendunt, in eaque per legem inertiae conservarentur, nisi naturalis rerum vicissitudo, hoc est alia lex naturae, generaliter mutationes induceret. Animantia bruta perfectius adhuc organici corporis indole, instinctu, atque sensu, eadem aguntur, et trahuntur lege. Ex hisce capitibus conservari, crescere, perfici, utilia quaerere, evitare noxia necessitate physica adnituntur. Pluribus adhuc perfectioribusque modis res ipsa in homine visitur: physica corporis lege, instinctu, ratione, voluntate a cunis ad sepulchrum usque bonum et felicitatem quaerimus. Ita a Deo comparati sumus, ut quolibet ex hisce modis agendo, in bonum generale necessario feramur: libera vero electio inter peculiaris tantum bona versetur physica, aut moralia, vera aut apparentia, praesentia aut futura, possessa aut praevisa. Inter bonum et bonum versari tantum potest ipsa etiam libera electio. Rem plane demonstrat intimus omnium nostrum sensus, experientia, conscientia, et humanarum actionum analysis. Homo igitur per naturam, ac proinde necessario secundum ordinem providentiae agendo, se semper amat. Potest ne homo sese odio habere, idque velle, aut agere, quod sibi existimavit nulla ratione bonum? Quidquid instinctu, ratione, aut voluntate impulsus, necessario, aut libere agamus, id utique in praesentibus agendi circumstantiis placet. Objectum aut actio, unde nihil in nos derivatur boni, quoniam pacto nostram agendi indifferentiam tolleret, animumque excitaret?

A. nor igitur sui homini est innatus, essentialis,

a Deo inditus, atque idcirco bonus: nobis semper praesens, ad agendum excitat, ratio vero dirigit. Duo haec voluit Deus nobis esse innata, amorem sui principium actionis, rationem vero principium directionis. Si eorum alterum deesset; omnes actiones, morales deficerent. Rem totam in temetipso videas, et in omnibus humanae vitae gradibus.

## §. VII.

*Humanae vitae Tabula superiora confirmat.*

**S**ed jam in brevi tabula te ipsum, humanamque vitam, physicam, rationalem, moralem inspice.

Physica corporis indole, et mechanismo, sensu, et appetitu, ratione, et voluntate vivimus, agimus, aut agimur. Plurimae humanae vitae actiones primo potissimum tribuuntur principio; plurimae sensui, plurima item ratione, et voluntate aguntur. Saepe etiam in eandem actionem omnia illa insimul conspirant: sensus et ratio, appetitus et voluntas inter se se combinantur, et ad agendum nos excitant, aut trahunt. Objecta quibus afficimur, vel molesta sunt sensui, appetitui, voluntati, vel jucunda, et grata. Bona igitur, aut mala existunt relatu ad nostram sentiendi, appetendi, et rationabiliter volendi modum, et facultatem. Rursus objecta ipsa nobis bona, aut mala vel reapse existunt, vel ratione tantum praevidentur: prima dicuntur bona, aut mala praesentia, secunda praevisionis.

Ad haec capita, modos, et objecta redigitur humanum vivere. Primis quidem vitae annis solo sensu ducti ab aliis ad alia illius oblectamenta gradum facimus, ut et nauseam in eodem bono fruendo evitemus, et gratius quaeramus oblectamentum ex rei merito, aut novitate derivans. Bonis tantum praesentibus ducimur: praevisionis vi a tenellis men-

tibus per id temporis exclusa. Eodem vero redit, quod molestias sensuum aut evitare prorsus conemur, aut majores solum minoribus commutare. Praeterea enim vero non in incommodis malis declinandis, sed in bono assequendo sistit humana voluntas: ipsummet liberari a malis, aut majora minoribus commutare incommoda, quadam nos suavitate perfundit. Juventute adventante, et fluente, vivus ille sensibilium oblectamentorum amor, in puerili aetate rationis usum praecedente innocuus, physico temperamento tum temporis vigescente, et se se explicante intenditur, in passiones, seu constantes animi affectus degenerat, qui, rationis lumine jam tum explicato, bonumque et malum morale discernente, a prima saepe innocentia animum retrahunt. Interea temporis in dicenda tacenda vivissime rapimur, dummodo aliqua boni specie sensum alliciant: praesentibus objectis circumdati, et allecti, futura non nisi per crepuscula in prospectu a longe adspicimus. Aetate a juvenili illo vigore paulatim flectente, tum vero remittente passionum aestu, atque tumultu, tardaue ratione clarius tandem irradiante, nova affectuum actionumque panditur scena. Languescentibus paulatim corporis viribus, languidius nos tangunt praesentia, de futuris solliciti, bonorum, malorumque praevisio maxime agimur.

In brevissimo hoc humanae vitae indice potius, quam tabella, continuatam amoris sui evolutionem, atque ab objecto in objectum transeundi vicissitudinem demonstrante, temetipsum agnoscere potes. Quidquid in vita a nobis fit, ut bene, aut melius nobis sit volumus, aggredimur, agimus: sensu, ratione, aut utroque ducti, pro objectorum varietate, natura, et statu. Objecta vel sensu, vel ratione, vel utroque modo percipimus, et prosequimur. Rursus a ratione vel probantur, vel improbantur.

Prosecutio boni cujuscumque a ratione probata dicitur *amor rationabilis*: et amor sui proprie dictus, homini a Deo inditus, primaque Lex Naturae, nos morali vinculo obligans, et ad omnia officia, moralesque virtutes ratione ductante impellens. Quod si bonum, cujuscumque naturae sit, ratione reprobante prosequimur; amor proprius, et irrationabilis nuncupabitur, egoismi principium, amorisque sui inversio atque corruptio. Amor sui generatim omnes illos amoris sui modos complectitur: omnia agimus, prosequimur, volumus, quia generatim nos amamus.

Amor sui pure sensibilis, hoc est, sensuum oblectamenta tantum respiciens, et quaerens, sensuque proinde solum agens, primum est puerilis aetatis mobile, et actionum usum rationis antevertentium innocuum principium. In illo vivendi tyrocinio non pura ratio, non futuri praevisio, non boni malique discretio, puerili mente explicantur, et animum flectunt: libertas, ejusque usus, quae ab hisce principiis fluit, illaque supponit, locum adhuc non habet; omnesque idcirco puerilis animi, mentisque actus ab omni morali ratione immunes, physica necessitate fluunt. Metus, poena, praemia, objecta suaviter allicientia, intima sensus suavitas, una sunt agendi ratio, et modus illi aetati peculiaris. Haec confirmare, aut ulterius prosequi citra Lectoris offensionem non possumus. Puerilis indoles agendique ratio per otium observata assertae doctrinae luculenta est demonstratio.

Puerili aetate evoluta ratione paulatim clarescente, sensibusque intensius agentibus, duplex humanarum actionum ordo, rationabilis, et sensibilis, sibi ut plurimum contrarius, incipit, per totam humanam vitam *continuandus*. Alia ratio, alia plerumque probat sensus. Ex generali quidem amore, bona cujuscumque generis respiciente, ad illa omnia,

dummodo bona sint aut appareant, ratione aut sensu perpetuo excitamur. Cum jucunditatem in iis semper quaeramus, ea nunquam inventa, imo vero quadam animi nausea ardentique cura post equitem semper sedente; cum ex desiderio non satis expleto, aliud continuo nascatur alterius boni et gaudii desiderium, nunquam etiam satis explendum; hinc illa est perennis obsectorum mutatio, et quaesita oblectamentorum successio. Hac utique vivendi agendique ratione quoad vivimus plerumque ductis, juvenilis, imprimis aetas potissimum transigitur. Ratione tamen clarescente, vivendique usu, exemplo, doctrina, propriis experimentis, et reflexione confirmata, tum vero alia de bonis ipsis statuendi ratio. Quae vera sint bona, ab apparentibus, et fallacibus dignoscimus. Justum ab injusto discernitur, praesentia sentimus, futura praevidemus; moralia bona a physicis sensuum oblectamentis distinguuntur; iisque ad communes honestatis regulas collatis, quae olim bona existimavimus, moralia plerumque experimur mala. Novo hoc lumine in mente explicato, humanasque actiones dirigente ac definiente, tum vero in novam inducimur scenam; duo illa principia homini innata, ratio hominem ad verum bonum dirigens, amor sui ad verum bonum impellens vehementius agunt, mentem, animumque ad rationalia honestaque bona magis excitant.

Post hanc rerum positionem per totam plerumque vitam inter sensum, et rationem fluctuat saepe Animus, modoque in sensuum oblectamenta, honesta aut turpia, modo in rationale bonum, pureque honestum flectimur: prout sensus vel ratio magis allidunt, liberamque alias voluntatem flectunt. Quocumque modo agamus; aut amore sui innato, atque honesto excitati, aut amore proprio ducti, nos agendo respicimus. De secundo hoc amore res est

plane evidens; egoista, sensu, ratione, aut utroque agat, suaemet actionis principium, atque finis existit, a se se, sibi que agit, in se se potissimum collineans, et tendens, parum saepe de viae rectitudine curiosus. Neque minor de primo amore evidetia: si ratione, innatoque nostrae perfectionis, et verae felicitatis amore agimus; ad honesta proculdubio, rationabilia, sublimia virtutum exempla, et actiones honestas excitamur, et contendimus. Unde enim hominis rationalis, et moralis perfectio, nisi ab hisce mentis animique ornamentis, actionum honestate, virtutum moralium exercitio? Hominem vero suimet perfectioni studere, quin se respiciat? Praeterea vero honestae omnes actiones lege aliqua naturali, vel positiva praescribuntur, unaque secum ferunt praesens, aut futurum praemium. Consilia, etiam Evangelica (per morales Philosophos auctori Christiano donetur semel saltem a ratione in auctoritatis provinciam digredi), consilia inquam Evangelica, sublimiores humanae vitae appendices, legis observantiam, futurumque bonum respiciant. Omnium igitur honestarum actionum commune *epiphonema*, atque conclusio sunt praemium, bonum, felicitas. Laus, commendatio, privata aut publica nostri inter homines existimatio praesens, aut futura in praemiorum partes apponuntur. Vana illa sit, et fumosa gloria, qua tibi vel absentem vel jam mortuo parentabitur: interim tamen dum vivis et agis, tibi ipsi in futura saecula plaudis, plausuque illo, vero aut ideali frueris: en igitur ob idealem gloriam parum imaginationis opus, sola mente conceptum, atque provisum, te beatum, contentum. Nihil boni in te ex actionum honestate derivandum parumper suppose; virtutem, ipsum amorem honestatis, bonum quodcumque tibi prorsus inutile apud te statue: aliquid ne in te ipso producet sterile illud atque inutile objectum?

## COROLLARIUM.

In omnibus hominis actionibus, instinctu, sensu, ratione, voluntate necessario, aut libere fiant, locum habet ad easque impellit amor sui, aut proprius. Summa enim rei est, nosmetipsos amamus: huiusmodi amor nobis innatus, est proculdubio ab auctore naturae optimo; bonus igitur in se se, activus, semper praesens, et agens, omnibus voluntariis humanisque actionibus edendis proportionatus existit. Totius igitur rationabilis, sensibilisque vitae principium habemus, et causam sufficientem, juxta philosophandi regulam alibi expositam. Principio quidem bono, quod una cum naturali ratione ad vera tantum bona, perfectionem, et felicitatem obligat, et dirigit, primaque naturae Lex, et directio existit; principio inquam illo saepe etiam abutimur; falsaque boni specie ducti, et humanae voluntatis vitio ex libertatis abusu, praesentia sensuum oblectamenta, ratione perperam reclamante, honesto saepissime praefereimus. Adeo verum est, humanas omnes actiones ex principio illo physico morali derivare: quid enim est a recta rationis via in vitia sensuum oblectamenta, in vitia deflectere, nisi bonum, sensibile, praesens, et suaviter nos alliciens bono futuro, purae praevisionis, atque rationis praeferre? Praesenti bono fruamur, inquam, malum longinquum evitare speremus. Ita nobiscum statuendo et agendo fallimur, in rationem peccamus: boni tamen specie ducimur, bene esse modo, bene sperare in futurum, bono praevisionis praesens incommodum secum afferenti praefereimus. Quid tamen id, nisi amoris sui in amorem proprium conversio nosque semper agendo, respicere?



*Exposita hucusque Doctrina vindicatur.*

**U**t nullum circa hucusque dicta supersit dubium, levia quae objici possunt, paucis examinemus.

Asserto principio, uberius ex sequentibus confirmando, majoris explicationis gratia, Philosophorum opposita statuentium rationes opponamus. Primo igitur ex vulgari praejudicio, amorem sui, cum amore proprio male confundentes opponunt aliqui vulgo nequaquam adnumerandi, quod virtutum, totiusque honestatis principium adstruamus per se se malum, et vitiosum. Respondeo; scrupulum vulgo dignum vel una solvit notionum amoris sui, et proprii data superius distinctio. Primum esse homini naturale, essenziale, atque adeo ab auctore naturae inditum, et consequenter Bonum, res est demonstrata. Quid enim malum ne genium, et inclinationem esse nobis a Deo Bono, et optimo inditam? Innato hoc agendi aculeo rationi semper conformi ad moralia omnia officia, virtutum sublimitatem, et heroismum excitari, idne est moralem honestatem principio turpi referre? Vitiosi nota inuri tantum potest amor proprius: quo nos fere tantum respicimus, nosque unos, ratione incassum reclamante, amamus: is tamen amoris sui corruptio, atque abusus neque naturalis, neque vitae moralis principium est. Qui irrationabili vitiosoque hujusmodi amore se se prosequuntur, eoque agunt *egoistae* nuncupati, actiones producunt vitioso principio similes.

Sensibilitas potius dicit Helvetius, humanarum omnium actionum principium est: omnia a sensu incipiunt, idae, amor, virtutes, vitia: quidquid mente concipimus, voluntate agimus, totum est a sensu; omnes hominum facultates in sensum reducuntur, purusque sensus existunt. Hominem esse pure

sensitivum, potentia tantum passiva sentire, et duci, ab aliisque animalibus non animae indole, sed sola membrorum conformatione differre, existimabat Helvetius, Philosophus materialista: sensuum proprietas oblectamentum, *le plaisir, l'interet* morum principium esse statuit verus et sincerus egoista. De hujus materialistae doctrina, et opinionibus per totam Ethicam saepe occurret sermo.

Quod rem praesentem attinet sequentia constant: ideas omnes esse a sensu, dubia aliquorum est Philosophorum opinio nunquam demonstranda. Rem vero dubiam loco principii statuere, esset labili arenae palatium superstruere. Contra vero *amor sui* est veritas a nemine in dubium vocata, per se nota, omnibusque conditionibus ad principii rationem necessariis praedita; ut hucusque demonstravimus. Cum dicis, sensibilitatem, seu sensum esse universale motum principium, omnes voluntatis, atque mentis actus esse a sensu, rem affirmas non constantem, neque certam, ut opus esset, sed dubiam, et probandam. Contra vero, quancumque de idearum origine opinionem teneas, *amor sui* est res per se nota, animae inditus, et naturalis illius conditio, a peculiari circa idearum originem opinione minime pendens. Reliqua hominis sensa modo indicata, materialismi, atque fatalismi appendices, fusa in Metaphysica rejecimus, et opposita ad evidentiam demonstravimus.

At ipsa potius humanarum actionum, et virtutum honestas moralis vitae principium statuenda videtur, amori sui longe praeferenda. Quid enim? honestatis, et virtutis amor, quin ad me ipsum referatur, per se se est bonus, laudabilis, virtus: eni igitur moralem actionem, et virtutem ab amore sui non derivantem. Simili ratione de amore Dei propter semetipsum potiori jure argumentum deducitur. Virtutem, Deum ipsum propter intrinsicam bonitatem, et

per se se amare possumus, et debemus: amor erga Deum amori sui infinite preferendus, et magis aestimandus, ab illo, tamquam a principio derivari non potest: nisi effectum principio suo perfectiorem admittamus. Uno verbo, Amor sui actionum moralium ipso perfectiorum, et illum amorem nullo modo continentium principium esse nequit: unaque superest intrinseca honestas proprium hujusmodi actuum principium. Respondeo: tria distinguamus difficultatis capita, in argumento male confusa, absolutam actionis, et objecti honestatem, quin ad nos referatur; ipsiusmet actionis meritum, et dignitatem; principii a motivo discrimen.

Primo intrinseca, et absoluta amoris Dei, et virtutum honestas, imo et infinita Dei Bonitas est insimul necessario relativa: propter utramque semper agimus: unamque ab altera separare esset hypothesis impossibilis, intrinsecae primi entis infinite Boni perfectioni penitus opposita. Argumentum ex hujusmodi hypothesis petere, est, aeri castellum superstruere. In naturali igitur et humano agendi modo, in qualicumque virtutis actu exercendo nos semper respicimus, objectum et actum in se se absolute bona nobis tandem referimus: omne bonum, et bonitas sunt necessario relativa: bonum ad nos non spectans, nobis prorsus inutile, unde nihil beneficii derivaretur, quonam pacto voluntatem nostram ad agendum flecteret, et impelleret? II. Amor Dei ex objecti merito cuicumque alteri amori dignitate prior esse debet, et longe praefendus: quid tamen inde in nos? ut ad Dei, virtutisque amorem nonnisi post plurimos vitae annos transactos perveniamus, ab amore nostri in primis vitae crepusculis incipimus, per ejusdem actus semper in vita repetitos progredimur. Nos amando, felicitatem semper quaerendo, ab objecto in objectum transimus, eam semper in

objectorum successione quaerimus : quoad tandem amor ipse nostri ad Dei amorem deducit ; Deumque amamus , quod non nisi in Deo felices tandem posse esse cognoscimus : eoque pacto amor nostri primo quidem sensuum inferiorisque gradus , ad amorem nostri perfectiorem sublimiorisque conditionis nos sensim deducit . Rei morali nequaquam convenit tota caussarum physicarum conditio . Amor nostri non perinde amorem Dei producit , ut causa physica effectum etiam physicum . Amorem sui principium , non rigorosam causam esse dixi humanarum actionum : plurimum vero interest inter principium morale , impellens , et perfectam effectus causam .

Morales ergo virtutes universae , tot hominum sanctitate illustrium , quos vel supra aras et religiose colimus , tota in amorem sui resolvitur sanctitas ? Totum illorum meritum , laus , et commendatio in hoc unum redigetur thema , et rei summam , quod se se amarunt , et plus quam caeteri homines rebus propriis consuluerunt ? Praeclaram enim vero panegyrim , et commendandi hominis caput ! Cum haec leges , aequus mihi esto Judex , quod , non difficultatis umbras , ex vulgaribus praejudiciis derivantes , in tabula proponere noluerim . Respondeo : aliud est , virtutes omnes morales , totiusque vitae honestatem in amorem sui resolvi ; aliud vero , et toto quidem coelo diversum , ab amore sui rationabili , honesto , naturae humanae insito hominem ad vitae honestatem , imo et ad sublimia , atque heroica virtutum exempla , tamquam a stimulo semper praesenti , ita impelli , ut pro rationis dictamine , atque objectorum merito sua omnia , vitamque ipsam Deo , honestati , et communi etiam bono devoveat , atque sui memor posthabeat . Hoc secundum tantummodo asserimus . Absurdumne dices , hominem ex illo agendi principio ad justitiam et honestatem impelli , ex quo,

ut sanctus justusque sit, a Deo ipso suadetur, et excitatur? At ut virtutem colant, sancti justique sint homines, ex praemiorum, poenarumque propositione in veteri novoque testamento semper excitantur, et suadentur. Praemiorum, poenarumque propositio ad hanc summam redigitur, cum scelestos poenae, justos praemia maneant; si te amas, virtutem colas, scelera devites. Poenarum praemiorumque stimulis, et propositione suadere, quid tandem est, nisi ex amore sui argumentum capere? Deinde Amorem sui ab amore proprio distinxi. Primus ratione semper ductus, et in se se est moraliter bonus, et nonnisi ad humanos actus bonos ducit, et ad virtutis actus amore sui puro sublimiores, dignitate, et excellentiores excitare potest, ut modo exposui. Secundus sensu agens, seseque rebus omnibus praeferens ad bonum quodcumque, verum aut apparens nos stimulans, saepe quidem ad objectum, et actum ratione malum, specie, et sensu bonum impellit. Tam igitur epulo sensuum oblectamenta, dicenda tacenda semper quaerens, quam Philosophus veri, et justus amator, imo et religiosus sacco, et cinere coopertus, Dei hominumque amore ductus, contemplationi deditus, se se, contraria agentes amant; atque ex hoc amore excitantur: diverso tamen modo et amoris specie ducti. Primus ille bonum praesens sensuum, quocumque modo bonum, secundus rationis bonum, justum, et naturale, tertius bonum supernaturale post mortem assequendum, aeternum tamen fruendum, ita vivendo respicit. Quid vero haec nisi amor sui, aut proprius, ratione probante, aut improbante, directus? Vulgaris illa nota *amori sui* opinione hominum inusta, secundum tantum, quem distinxi, se se amandi modum afficit, qui quidem turpis plerumque est, omnesque ferme homines inficit; unde in amorem sui derivata est nota.

Plura alia in rem eandem facientia toto hoc opere sparsim offendes: cum, nisi ego fallor, tota morum philosophia sit pura amoris sui evolutio, et frondosa ab illo surculo planta.

### COROLLARIUM.

**E**x dictis haec consequentia pronò alveo profuere videtur. Amor sui, homini cuicumque innatus, est generale omnium humanae vitae actionum principium. Ita enimvero sibi cohaerent omnes philosophiae partes, rationalis, physica, moralis; mirabilisque apparet supremi Numinis erga humanum genus providentia: verum quaerere, et cognoscere, bonum amare, et possidere; est supremum naturalem humanae naturae apicem. Auctoris vero nostri benignitate erga nos, atque Providentia factum, ut cum ad utrumque illum finem assequendum hominem creaverit, illumque suarum actionum Dominum, meriti, demeritique voluerit esse capacem; rei utriusque principium, et perennem veluti aculeum, in homine ipso statuerit, praesens semper, atque innatum. *Cognitio sui* homini cuicumque cogitanti est principium philosophandi, intellectus philosophiae humanarum cognitionum: *Amor sui* principium agendi, voluntatis, seu philosophiae humanarum actionum; intellectus veritatem, voluntate Bonum, felicitatem quaerimus. Intellectus incipit a cognitione sui, voluntas ab amore sui: en duo cogitandi, et agendi elementa nobis a Deo indita, quae in verum et bonum humanae naturae scopum, et felicitatem manuducunt (a).

---

(a) In tota humanarum cognitionum et scientiarum comprehensione, quidquid evidentia rationis, sensuum aut morali cognoscimus, id tanquam indubium amplectimur: tri.

*Humanarum actionum finis*

**H**umanæ actiones universim ad duo capita reduci possunt, quod præsens institutum attinet; alia sensuum, rationales alteræ. Priores objecta materialia tantum respiciunt. Has unas pueri, utrasque vero transacta pueritia per totam vitam elicimus. Voluntatis actus rationales in duplici sunt

---

plexque hæc evidentia tamquam index, criterium, seu argumentum veritatis humanis mentibus statuitur, et inseruit. Unde tamen habemus, ita cogitando et agendo nos non falli? Quia, cum ita natura comparati simus, ut triplici illi evidentia necessario assentiamur; si ita assentiendo erraremus, error noster auctori naturæ tribueretur: id vero infinitæ Intelligentiæ et Bonitati repugnat. Res igitur tota resolvitur in infinitam Dei Bonitatem, et Intelligentiam; hoc est in æterni Numinis existentiam. Unde tamen Deum esse conficies? Ex visibilibus rebus, ex mundana hac machina respondes. Bene quidem una tecum convenio, quia ab Idealistis plane dissentio. Si tamen cum Idealistis agas, de corporum existentia dubitantibus? Mundana machina, corpora omnia iis hominibus sunt res dubia. Cum iis Philosophis agendo, alia tibi non superest via, aliud argumentationis initium, quam tuamet cogitantis spiritus existentia, tuimet cogitantis spiritus apperceptio, ut ita dicam, evidentiam rationis et physicam in se se complectens; de qua, quidquid in contrarium coneris, dubitare non potes; primus tibi erit firmus longæ illius scalæ, et seriei consequentiarum gradus, qua tandem in humanarum scientiarum criterium deveniemus. Rem in Metaphysica expositam hoc loco indicasse sufficiat.

Non eadem tamen ratione cognitio sui, et amor sui existunt principia, illa quidem philosophandi, hic vero agendi. Prima est fundamentum, ex quo ipsis etiam Idealistis, et, quod magis est, Pyrrhonicis quoque vel invitis philosophandum est; quin tamen ipsa in singulas humanas cogitationes per se se influat, aut illas in nobis excitet: contra vero amor sui omnium humanarum actionum perpetuum excitamentum existit, palam, aut latenter agens.

classe, necessarii scilicet, et liberi. Postremi tantum illi sunt, qui actiones humanae, et actus morales proprie nuncupantur, laudis, aut vituperii, praemii, aut poenae capaces. Omnes humanae actiones, omnisque humana vita finem aliquem constanter respiciunt. Agentis enim vero rationalis liberi, est, finem aliquem agendo respicere, propter finem agere: rem demonstrat libertatis, rationis, et voluntatis indoles. Dum etiam voluntatis necessitate volumus, et agimus, cum praeeunte ratione velimus, et agamus; objectum aliquod, atque finem agendo quaerimus. Praecipuum id est inter rationem, et casum discrimen: quod ulterius prosequi superfluit. Quidquid agitur propter finem aliquem agitur: si omnes materiales causae, totusque naturae ordo ex creatoris lege certum finem respicit; si casus etiam, hoc est ignotae causae effectus, non praevius, suum habet sin minus operantis, operis saltem finem; quanto potiori jure rationabiles causae intelligentia, et voluntate agentes? Necessariis etiam sensuum actionibus, quae quidem per se se humanae moralesque non existunt, finem aliquem respici, ipsamet sensuum analysis demonstrat. Ea tamen impraesentiarum ommissa, humanarum tantum actionum finem prosequamur.

Humanarum actionum totiusque vitae summa eo dirigitur, ut aut felices, aut quo fieri possit minus infelices vivamus. Tam igitur objecta quaerendo, quam finem intendendo nos semper respicimus.

Te ipsum per otium consule, et facta tuarummet actionum et vitae analysi ad ultimam, quae te movet, agendi rationem cogitando pertinge. Hominem ex homine non in ideali Platonis Republica, sed in naturali rerum statu perscrutemur. Humana ratio suimet est interpret, et doctor. Servari, et perfici communis rerum omnium etiam materialium lex est,



generalibus observationibus constans. In materialibus rebus illa agendi ratio tota est extrinseca, ex inertia derivans, aliisque naturae legibus, a Deo tantum in rerum creatione constitutis. In causis tamen cogitantibus, liberis, virtute propria agentibus, quales existimus homines, constans illa lex ab intrinseca earum indole profluit. Si in materialibus rebus, cur non et in cogitantibus, perfectiori causarum ordine, legem illam ratam esse voluerit Deus? Verum illud esse videtur discrimen a rerum naturis derivatum, quod materialia cognitionis volitionisque expertia, viribus extrinsecis ducantur; homines vero, cogitantes, et liberi ratione et voluntate agant: utraque tamen ad sui perfectionem agendo tendant.

2. Mente parumper volvamus agendi rationem omnibus hominibus communem, illumque humanarum actionum vorticem, quo a cunis ad sepulchrum usque circumducimur. Quanam artium, professionum diversitas, cogitandique varietas? Quisnam viarum labyrinthus, et multiplicitas a cunis ad sepulchrum ducentium? Non modo studiis inter se contrariis agimur; verum unus idemque homo consilia saepe mutat, inter rationem, passionumque turbines fluctuans, modo ratione, modo una, modo altera passione ducitur. Objecta objectis, affectus affectibus, justa injustis saepe commutat: sibi nunquam in re ulla, aut statu plane contentus. Si ab aliis, si a te ipso tot studiorum varietatis rationem quaeras; haec una est tacita uniuscujusque responsio: sibi quemque consulere, fortunam tentare, aut secundum genium agere. Infinita illa studiorum, actionum, consiliorum varietas in illum unum collineat scopum; bene esse, et quantum fieri possit felicem; ita uno verbo, atque idea complectimur votorum nostrorum summam, vitam, sanitatem,

divitias, dignitates, felicitatem. Stoicus fortunae bona despiciens, dolores, aerumnasque parvi pendes, sibi ipsi gloriose mendax, eundem aspicit scopum: plus apud illum valet doctrina, et nominis gloria, internaque animi fructio et jucunditas, quam sensuum oblectamenta, homines universim fascinantia. Homo Christianus ad Evangelicorum consiliorum normam vitam agens omni asperitatum genere duram, Pacomius, Macarius, Basilus externis materialibusque bonis internam animi pacem, et jucunditatem, praesentibus futura, possessioni brevissimae, spem aeterni, praevisa existentibus merito praeferentes, eadem etiam agebant lege. Dum ego ita philosophando statuo, Philosophum ago; supernaturalis gratiae penetralia impraesentiarum non ingredior: probe tamen aliunde sciens, cum exposita lege peculiarem illum agendi modum gratiae supernaturalis proprium convenire. A Basilii, Paconii, Macarii mente et animo deletam parumper concipe omnem praevisae felicitatis spem, praesentem tranquilli animi sensum, et internam illam suavitatem ex bona conscientia profluentem. Quid tum vero, citrane ullam praemii futuri spem, citra ullum animi gaudium, delectationem, suavitatem, nullo sui bono aerumnosam agerent vitam? Bonus es, si id portentum admittas planeticolis praedicandum.

3. Cum nobis, cum aliis certum quoddam vitae genus suadendum, et eligendum proponimus; quibus tandem rationibus utimur, suademus, agimus? Cum unam alteri praefereamus artem, vitae genus, fortunam, in quid tandem electio, et praeferendi consilium resolvitur, nisi in honestatem, opes, fortunam dignitatem, gloriam, peculiaremque animi genium ad unam partem prae altera per se se flectentem? In hisce omnibus casibus vel genio ac naturae tempe-

ramento, vel consiliis et meditata ratione, vel utroque modo agimus. Si secundum animi indolem, et naturale temperamentum agis tui ipsius proculdubio amore agis. Rationis vero consilium bona aliqua praesentia, sperata aut praevisa semper respicit. Te ipsum intimamque tuorum sensuum, et actionum conscientiam appello. Animi affectibus, tumultuantibus passionibus, aut frigida ratione agas, bonum tibi semper aliquod quaeris, cujus fruitione gaudeas; et contentum vivere existimes. Adeo verum est, quod rem quamcumque agamus, bonum aliquod semper intendimus. Accidit sane, et saepissime quidem accidit, quod ignorantia, praecipiti iudicio, culpaque nostra bonorum rationes male subducimus, fallacique specie ducti apparentia veris praeferrimus. Sed is etiam irrationabilis agendi modus universalem confirmat thesim; nos nostra semper, et contentos esse quacumque ratione quaerere.

Generalis ergo est naturae lex ab auctore naturae rebus omnibus secundum earum indolem indita in bonum dirigi. Bonum vero aliud est operis, seu totius systematis naturae, aliud operantium causarum, sensu, cognitione, et voluntate agentium. Rursus lex naturae, alia est pure physica res omnes comprehendens: alia, ad rem nostram spectans, physico-moralis, cogitantium causarum propria. Physicis naturae legibus, a Deo tantum derivantibus, materialia corpora universim ducuntur ad se se, et generale mundanum systema in perfectione sua servandum. His legibus, in Physica nostra expositis stat et regitur hoc universum. Perfectio, universale, et peculiare totius operis bonum comparatur lege altera physico-morali ad nostrummet operantium bonum, quod in generale tandem refunditur, qua intrinsecus semper, nostraque sponte urgemur. Verum legis hujus naturalis objectum, et scopus

est vera hominum beatitudo naturae viribus comparanda. Hanc respexit naturae auctor : hanc etiam modo tamen nostro respicimus mortales proprio consilio derelicti , languidoque lumine mediis in tenebris ducti . Ipse tamen error generalem illam agendi legem duplici ratione confirmat : 1. quod vel errando felicitatem quaerimus , nostrique amore ducimur : 2. quod continuata errandi experientia nos tandem dedoceat , et a vana boni imagine ad veram felicitatem prosequendam deducat : dum ab objectis in objectum gradatim transeuntibus , quorum fruitione felices nos fore existimabamus , nullius comparatione contenti , nostroque errore docti , ad veram tandem , si sapimus , beatitudinem prosequendum devenimus .

Sui praeterea amor , lex naturae physico-moralis , in generalem totius mundani systematis constitutionem physico-moralem resolvitur : in eaque conspirant duae assertae leges . En rei summam ex penitiori Metaphysica deductam . Duplicis generis creaturae physicae et morales , mundanum systema componunt . Deus mundi creator , infinite sapiens et perfectus , systema rerum in suo genere perfectum creare decrevit : ad mundani igitur systematis perfectionem physico-moralem creaturas universim in suo quamque genere ordinavit . Perfectio mundi physica physicis naturae legibus obtinetur , stat et servatur . Perfectio moralis in morali tantum bono , moralium legum objecto et scopo , consistere potest . Illud vero morale bonum veram esse hominum felicitatem , unicum esse nostri bonum , amoremque sui in illius boni prosequutionem resolvi , inferius demonstrabitur . Quoniam igitur morale hujusce mundi bonum , et perfectio ab Auctore Deo intenta , et statuta nostram hominum felicitatem , et bonum secum fert , et complectitur , Deusque ipse mundanis causis indolem indidit ad praestitutum finem obtinendum aptam ;

amorem sui, propriamque felicitatem naturale esse voluit humanarum actionum principium, et finem.

### COROLLARIUM.

**I**n malorum igitur fuga et privatione non sistimus: neque illa est naturale hominis bonum, objectum, aut finis; sed ad humanam felicitatem requiritur. Inter bonum et malum, commodum et incommodum existit aut existere concipitur, utriusque privatio. Res si existeret, lethargo physico esset similis: quo sane statu, quin homo sit mortuus, omni tamen vitae specie, actione, fruitione est destitutus. In huiusmodi ne statum omnis sensus, atque fruitionis expertem, in omnium sensuum lethargum, omnis gaudii, laetitiae oblectamenti cessationem, naturalia hominum vota collineant, eoque tantummodo ducit amor sui, cuicumque nostrum innatus? Cum huiusmodi status neque esset aliqua perfectio, neque vota nostra posset explere, neque ullam secum ferat felicitatis speciem; votorum nostrorum nequit esse objectum, aut scopus. Ille praeterea status non existit in natura, atque primo felicitatis elemento plane opponitur. Naturalium rerum ordo in actionum perennitate consistit, ipsumque humanum vivere, quod primum est felicitatis fundamentum, ipsummet cogitare, amare, frui, gaudere, omnia, inquam, haec sunt purum agere, aut actionum perennitatem secum deferunt. In re experimentis, conscientia, et idearum claritate, et connexionem certa, amplius immorari superflueret. Quo tamen homines agit, et adducit amor sui? Quid rei est illud bonum, et felicitas in quam semper per rectas, detortasque vias contendimus?



*De Naturali humana Felicitate.*

**H**umana Felicitas, seu beatitudo naturalis, omnium humanarum actionum atque votorum finis, objectum, et scopus, duplex concipi statuique potest, et debet, perfecta, et imperfecta. Prima inter ideas potius quaerenda, quam re speranda, et ob hoc unum definienda, ut imperfectae beatitudinis, quae sola existit in natura regula esse possit; est, aut potius esset: constans boni naturalis hominem explentis possessio, seu perennis jucunditas animi citra ullum timoris, desiderii, sensus incommodum. Ut hominem concipiamus, definita hac felicitate beatum, plurima opus sunt in eadem clare indicata, aut inde profluentia. 1. cum homines corpus, et anima existamus; duplexque haec humanae naturae pars sibi mutuo arcte adeo uniantur, quacumque ratione rem explices, ut unius malum, aut incommoda affectio in alteram derivetur: passiones animi in corpus, affectiones corporis in animum redundent; naturale illud bonum hominem explens, et perfecte contentum reddens, utriusque partis bonum et statum complectitur. Stoicum illud dogma, sapientem in tormentis esse beatum, hominis est gloriose mentientis, aut quaestionem inter pocula agitantis.

2. Quidquid igitur naturali corporis aut animae perfectioni officit, illam impedit, aut de illa detrahit, naturali hominis felicitati opponitur. Animae perfectio naturales ejus facultates mentem, voluntatem, memoriam imprimis complectitur; in corporis vero perfectione illa omnia intelliguntur, quae ad omnes ejus functiones rite peragendas opus sunt. Felicem ne diceres hominem aut mentis inopem, excordem, malignum, inhumanum, aut rerum omnium immemorem? Quinam vero ex corpore male affecto

derivantur in animum molesti sensus, cum perfecta felicitate nunquam componendi?

3. Vitia quaecumque animi physica aut moralia, defectus omnes corporis naturales, hominem iis imperfectionibus obnoxium a naturali beatitudine longe excludunt. Corpus quod attinet, satis jam fuit expositum. Animi vitia vel physica, vel moralia, vel physico-moralia existunt. De primis modo diximus. Moralia vero omnia, et rationi opposita, et per se se turpia summa hominis imperfectio existunt, vitaeque tranquillitatem turbant: ut nihil modo dicam, dicturus postea, de naturalibus incommodis in corpus et animam inde derivantibus. Hominem animo et corpore vitiosum, atque idcirco imperfectum, non nisi per jocum dicere possumus beatum. Luculentius haec omnia inferius exponentur.

4. Perfecta Beatitudo, omnes animi affectus illius tranquillitatem perturbantes, vehementes corporis affectiones, quibus molesti in corpore, et animo sensus, atque passiones excitantur, omnino excludit. Animus perenni fluentium affectuum tranquillitate gaudens, nullis sensuum molestiis distractus, primum esse debet beatitudinis fundamentum. Vehementes affectus, passiones, molesti sensus in animam quandoque suborti, aut excitati, quibus anima a suavi sensuum aequilibrio, internaque pace turbatur, procellosi illi sunt fluctus, turbines, et tempestates, quae navem per tranquillum antea mare leni vento delatam, hinc inde torquent, ad extrema pericula adducunt, prosperumque iter in infelicem navigationem vertunt.

5. Ut vero a generali regula ad unum vel alterum peculiare exemplum descendamus; in homine beatam vitam vivente nullus inesse debet timor, desiderium, invidia: nullo pariter caloris, frigoris, famis, sitis molesto sensu affici. Timere, desiderare, invidere

hominis est praesenti fortuna non contenti. Triplexque haec passio secum semper defert molestam animi inquietudinem cum naturali beatitudine nunquam componendam. Posteriores vero illi animae sensus, a corpore et externis objectis proxime excitati, physici sunt dolores a felicitatis idea per se se exclusi. Haec et plurima alia perfectae felicitatis naturalis accidentia, et appendices luculentius statim prosequemur. Interim ex qualicumque hac argumenti expositione satis superque constat, perfectam illam naturalem beatitudinem purum esse mentis opus, desiderii, non actionis objectum. Nullum gaudium naturale perfectum. *Nam extrema gaudii luctus occupat.* Proverb. 14. Ejus impossibilitas ex naturalium causarum indole, ex mutuo inter animam et corpus commercio, atque ex intimo humanae naturae fundo profluit. Iterum dico, corpus et anima sumus, interni temperamenti defectibus, externisque objectorum actionibus obnoxii, mille inde premimur malis, incommodis, doloribus. Inde etiam identidem turbatur animus contrariis passionibus et molestis affectibus agitatus. Uno verbo, humanum vivere perennis est passionum, affectuum, sensuumque molesta ut plurimum vicissitudo. Sed ab ideali hac felicitatis imagine ad rei veritatem descendamus.

#### §. XI.

*Humana Felicitas per naturae vires possibilis.*

**A**b ideali felicitate, desiderii potius, quam spei objecto, ad imperfectam, naturae viribus, humanoque ingenio unice possibilem deveniendo: Beatitudinis naturalis nomine intelligitur illa vitae humanae ratio, qua ob majus bonum possibile, minori malo possibili temperatum, magis contenti esse pos-



sumus. Ex hac nominis definitione plurima consequuntur; plurima etiam circa illam observanda, quae ad veram rei definitionem, et naturam statuendum viam sternent. Idque unum impraesentiarum praestare possumus. Quid enim rei tandem sit, et quibus nam rebus consistat humana felicitas humanis viribus possibilis, postremum esse debet Ethicae caput, nonnisi post expensam humanae vitae et naturae physico-moralem conditionem, affectuum, passionum, virtutum, vitiorumque naturam, characterem, statuendum. Corpus enim et anima sumus: sentire, cogitare, velle, agere, pati totum constituunt humanum vivere: earumque rerum combinatione felices vivimus aut infelices. Quin igitur proprium et ultimum felicitatis characterem adhuc statuamus; generalia capita modo subjicienda, per se se quidem possible, naturali beatitudini inesse debent; ejusque notionem explicant.

I. Illa imprimis ad corpus alendum, et servandum opus sunt, *quibus doleat natura negatis*: ut paucis Horatii verbis omnia bona comprehendam *primae necessitatis* nuncupata. Corpus et anima duae essentielles hominis partes, ut existamus, bene nobis sit, felices, contentique vivamus, servanda sunt, prout eorum indoles, et perfectio exigunt. Cum bona *primae necessitatis* dixi, omnia excludo, quae luxus, plurima, quae in usum induxit humanae societatis ratio.

II. Ita ex corpore et animo pendet humana felicitas, ut ad animum potissimum spectet. Principe hac humanae naturae parte potissimum consistimus, vivimus, agimus: illa una sentimus, laetitia, aut jucunditate fruimur. Organici instrumenti vices tantum agit corpus, substantia alias per se se iners, in praesenti tamen rerum statu quodammodo activa, et ad munera animi obeundum necessaria. Accedit

etiam, quod praeter physica munera modo enumerata, animae etiam est tota actionum humanarum moralitas, praecipuum humanae felicitatis caput.

III. Cum omnes humani sensus, vel spirituales ii sint, soliusque animae proprii, vel etiam externi a corpore quodammodo pendentes, aut per se se delectent, aut molestiam animo afferant: immo etiam sensus ad certum usque terminum suaves, evadant deinceps molesti; totius rei summa ad voluptatem, et dolorem reducitur; primusque ad felicitatem spectat; ad infelicitatem secundus. Gaudium, et dolor praeter multiplices alias species ex objectorum, sensuum, passionumque diversitate derivantes, aut praesens aut praevisum tantummodo habet objectum, et causam: ex eo propterea objectorum statu praesens, aut praevisionis merito nuncupantur. Quae distinctio eo altius infigenda est animo, quod sensus boni, aut mali praesentis aut praevisionis humanas actiones maximam partem comitentur, et mille modis secum combinentur. Rem fuse in sequentibus prosequemur.

IV. Sensuum oblectamenta per se se non constituunt humanam felicitatem. Per se se dico: neque enim sensuum illecebras, dummodo et animo et corpori existant innocuae, nullumque praevisionis malum secum ferant, ab humana beatitudine excludo: quin potius illius pars existunt. Ipsamet sensuum indoles, et felicitatis ratio propositionem facile evincunt. Functiones sensuum, quibus secundum vulgi opinionem consistit humana beatitudo, brevissimo durante tempore, maximamque diei cuiusque partem feriantur: animi tranquillitati, conscientiae, paci, interno gaudio, corporisque saluti ut plurimum opponuntur. Ut nihil dicam de malo praevisionis atque animi inquietudine sensuum illecebras fere semper turbante. Animi potius jucunditas, et tranquillitas continuata bene

agendi perennitate constans, innocuis tantummodo sensuum oblectamentis confirmata, summum illud esse possunt naturale bonum.

V. Bene agendi perennitatem ad felicitatem humanam opus esse dico: sine actione enim nulla voluntas, neque physica, neque moralis. Praeterquam enim quod vivere sit agere, ut antiquum fert proloquium, otiositas animi et corporis illam secum fert animae nauseam, malum universis otiantibus commune, quo quamdiu premimur aliis hominibus, etiam amicis, injucundi, et molesti existimus, nobis vero intolerabiles. Luculentius de hac animi aegritudine, occulta illustrium Fortunarum teredine, speciosiores felicitates interius rodente, inferius erit dicendi locus.

VI. Humana igitur felicitas non est per se se a pura natura; sed a statu hominum sociali pendet. Humana natura in se se spectari potest, et per se se existere ante omnes hominum associationes: humanaeque societates status quidem sunt naturae hominum apprime conformes, illiusque spontaneus, et necessarius fere effectus, primitivus tamen non fuere eorum status. Ante humanas omnes societates fuit homo: qui quidem in terrestri planetae superficie a Deo Optimo Maximo locatus se solo posset vivere. Rei veritatem humana ratio, et natura demonstrant: multiplex vero exemplum suppeditant primo quidam sylvestres homines solivagi, in sylvis saepe deprehensi et capti; secundo vero Americani etiam barbari, qui citra culturam, leges, artes ita vivunt, ut medium quoddam sint inter puram naturam, et societates humanas. In eo statu felicitatem quaere, si hominem incultum, ignorantissimum, nudum, religionis expertem, bestiis plane similem dicere audes felicem. Humana societas ille unus est status, in quo rerum scientia, artium cultura et usus, omnia vitae bona, commoda, necessaria, jucunda, et quod prae-

cipuum caput est, animi tranquillitas, et gaudium haberi potest. Pax tamen et gaudium animi neque sine humana societate, neque sine honestate actionum consistit.

Unde ergo sunt, quidve existunt duo haec necessaria felicitatis elementa, actionum honestas, hominum associatio: ad ea ne etiam quaerenda, assequenda, et conservanda impellit, atque ducit amor sui? Circa tertium hoc caput post superius dicta nullum esse potest dubium. Media illa, atque elementa felicitatis per se se bona, atque possibilia quaerere, sine quibus beati esse nequeamus, quid tandem est nisi se se amare? Eo igitur, tamquam dato per se se manifesto impraesentiarum praetermisso, reliqua duo fuse prosequenda: quorum primum modo aggrediamur; secundum in aliam partem differendum. Prius tamen statuendum naturalis Beatitudinis criterium.

### §. XII.

#### *Humanae felicitatis naturalis criterium, seu felicitas apparens et vera.*

Sicut veritas, objectum intellectus, ita et bonitas, ac proinde etiam summa bonitas naturalis, nostrae hominum voluntatis objectum, proprium habent criterium. Quatenus enim vero veritates tantum apparentes nobis passim illudunt; quot etiam objecta specie quidem bona, re autem mala nos saepissime alliciunt, et ad se se trahunt volentes? Intellectui respondet voluntas, veritati bonitas: perindeque in uno, atque in alio quotidie illudimur. Ne vero semper aut illudamur, aut illusionis periculo laboremus, sicut inter vera, ita et inter bona quaerendum, statuendumque est criterium. Si vero in bonorum discrimine ita agere oportet, potiori jure in illa bonorum complexione discernenda, quorum possessio

est, atque nuncupatur humana felicitas, hominesque efficit in hac vita beatos. Nihil enim, nullibique est, quo aut saepius, aut periculosius erremus, quam cum falsa bonorum specie ducti, post vanum felicitatis phantasma currimus, inconsulti nostrum amoris victima, et exemplum.

Ut rem statuamus, divisione et rei definitione agendum est. Bona sicut et mala, caeteris divisionibus modo praetermissis, generatim sunt alia animi, et interna, alia corporis, et apparentia. Quanam igitur, quorumque bonorum fruitione, et malorum privatione consistit humana felicitas naturalibus viribus assequenda? Unde definiendum, memetipsum, aut hominem quemcumque alium vivere felicem? Circa praesentem quaestionem diversa capita ex modo dictis consequentia sunt praemittenda, ex quibus tandem statui poterit verum criterium, atque iudex humanae felicitatis.

I. Cum humana felicitas naturalis in interna atque perenni animi pace, aliisque bonis physico-moralibus, quae animam spectant, atque ornant, et in intimo spiritus nostri sinu existunt occulta, potissimum consistat; unusquisque nostrum suae tantum felicitatis potest esse verus Iudex, testis, et criterium. Internam animi jucunditatem, quae tota est felicitatis summa, in se se quidem videt, et conscientia deprehendit, qui ea fruitur: in aliis tamen non nisi conjectando, aut probabiliter dignoscit; cum fallacibus tantum indiciis illa animi affectio manifestetur. Quot enim vero sub apparenti hilaritate saepissime latent rodentes curae?

II. Circa humanam felicitatem vulgus hominum plerumque fallitur. Nihil inter homines magis solemne, quam felicitatem ex illustri fortuna dimetiri, et sub externo fastu, divitiarumque pompa veram beatitudinem ubique supponere. Digna enim vero vul-

gari iudicio sententia. Quemcumque tibi hominem animo fingas rebus omnibus, ad illustrem equitem ornandum facientibus, ad delicias usque et extremum luxum affluentem: Horationum illud vere illico statue, *post equitem sedet atra cura*. Divitiarum copia, numerosa servitia, rerum omnium ad luxum extremum inservientium affluentia, vulgo hominum ex specie rerum iudicanti existimantur felicitatis argumentum. Apud Philosophos, aequosque omnes rerum aestimatores non nisi fucatum aut aereum habentur beatitudinis simulacrum. Sub illustri illa felicitatis specie latent tristes curae, animi inquietudo, tumultuantes passiones totius pacis inimicae, odia, invidia, zelotypia, otium, et individua illa otii comites, aeterna otiosorum teredo, animi scilicet nausea, qua fit ut nullis sensuum oblectamentis contenti, objecta objectis perpetuo mutant, sibimetipsis aliisque molesti. Sed satis hoc superius.

III. Omnes igitur fere homines, specie quidem et vulgi iudicio felices, sunt vere infelices. In externis enim illis magnarum fortunarum argumentis innititur, et sistit vulgi sententia. Quantum vero illa a vera felicitate sunt remota, facile videt, qui tantillo introspicit virorum principum, et magnatum palatia, mores, actiones, animum. Experientiam, rationem, naturam ipsam humanam appello: mirum esset, si sub ipsa vitiorum libidine, atque incitamenti tranquillitas animi, et iucunditas lateret. Homines igitur specie felices, seu felicitates apparentes existunt quamplurimae: verae autem felicitates rarissimae: neque illic vera est felicitas, ubi esse videtur: ibique plerumque existit, ubi esse non apparet. Si hucusque dicta, si veram felicitatis ideam, si tandem humanam naturam, et te ipsum introspicias; facile mecum de hisce omnibus convenies. Tot enim vero animi potissimum dotes, et virtutes



ad hominem constituendum felicem opus sunt, ut earum complexio nonnisi rarum esse possit phaenomenon. Multa ad physicum hominem decenter alendum, et servandum, plura ad intellectum, plurima ad voluntatem ornandum requiruntur. Passionum moderatio, affectus ordinare, vitia semper pululantia resecare, majora secum incommoda, quam oblectamentum deferentia, moralia denique animi ornamenta comparare: haec, inquam, omnia raro in homine conjuncta reperiri tuum esto judicium. Quod secundo loco dixi vulgaria experimenta, nostraeque naturae indoles demonstrat. De me ipso testor, nullam me hactenus nisi personatam felicitatem deprehendisse, unde illustrior felicitatis species, et fortunarum splendor affulgebat. Magnarum fortunarum, divitiarum, luxus appendices, effectus, aut comites sunt molestae curae, animi fastidia, passionis aliae aliis oppositae, atque in earummet objectis, et oblectamentis incommodae, ignorantia, timores, anxietates, morales virtutes, ut plurimum transmissae: haec et plura alia ejusdem fuffuris ornamenta sub splendido illo felicitatis fuce latent, et nobile existunt beatitudinis mendacium.

Humanae felicitatis judex esse tantum potest. 1. prudens et doctus rerum aestimator. 2. internae animae jucunditatis moralis, physicaeque, sui, aut aliorum plane conscius: ejusque criterium esse tantum potest, cognitio rerum, conscientia, doctrina. Quinam idcirco non excluduntur ab eo humanas felicitates judicandi munere? Quis hominem aliquem definias esse felicem, si quid humana felicitas sit, aut esse possit, et debeat; quid physici, rationalis, moralis ad eam felicitatem constituendam opus sit, perspectum non habeas? Nec satis tamen, quid rei sit, sed utrum etiam existat humana felicitas, agnoscere. Id vero tantum statuet de te ipso conscientia, de



aliis vero penitior eorum animae sensuum cognitio , studio , tempore , longa consuetudine comparata .

In pluribus igitur differunt criterium veri , et boni , seu felicitatis , atque utriusque criterii , et rei ipsius iudices : criterium veritatis est evidentia rationis , sensuum , moralis : Iudex vero evidentiae quaecumque hominum multitudo notabilis . Sapientes , insipientes , docti , atque indocti ad rem ejusmodi satis . Rem totam in Arte critica demonstravimus . Alia plane est voluntatis , rei moralis , boni et felicitatis ratio atque conditio . De re agitur ex profunda Metaphysicae , humanae naturae physico-moralis cognitione derivante ; penitissimos animae nostrae sensus , et ultima veluti penetralia attinente . Illa vero scire , haec introspicere non vulgi atque multitudinis , sed Philosophi de rebus iis omnibus apprime instructi , ex conscientia , aut evidentia rerum judicantis , munus est atque provincia . Et haec quidem ex ideali felicitatis notione hoc loco dixisse satis . Physica et penitior rei definitio postremum esse debet totius Ethicae caput nonnisi post inspectum hominem physicum , rationalem , et moralem statuendum . Interim ad indicatum superius argumentum , quid rei est humanarum actionum honestas , unde et felicitas , et felicitatis criterium pendet ?

### §. XIII.

*Quaenam sint morales hominum actiones quaenam earum conditiones , ut honestae dicantur , et existant .*

**H**omo ex corpore organico , et animo cogitante compositus , multiplici actionum genere agit , et agitur . Motus habemus vitales , naturales , et animales ; quid haec existant , unde , quomodo , quare peragantur in Physica exposuimus ; in Ethica modo



supponimus. Ex iis soli animales motus inter morales actiones recenseri possunt; cum danda modo moralium actionum principium, indolem, et conditiones habeant: dum vitales, naturalesque hominis motus, seu actiones, res tantum sit physica, atque mechanica, ad naturalem quidem hominis felicitatem, non tamen ad actiones morales spectans. Animales hominum motus, et actiones dicimus, quae voluntate peraguntur: licet aliunde ex causis etiam mechanicis nostri corporis pendeant: eaque est et nominis ratio, et discriminis a motibus vitalibus, et naturalibus, qui mechanici sunt: aut si ab anima etiam produci cum Sthalianis dicatur, ab ea et rei inscia, et modo mechanico agente fiunt.

Actiones morales nonnihil supradictis omnibus superaddunt, illaeque dicuntur, quae voluntatis actu, et arbitrio ponuntur, licet physicis etiam aliis causis virtute physica producantur. Rei exempla sunt deambulatio ad arbitrium peracta, opera ex mandato, consilio, aliisque similibus modo exercita. Cum huiusmodi actiones sint quidem aliquid physicum, humana tamen voluntate in rebus positum duplex habent suae existantiae principium: si sola earum causa physica spectetur; aut ab illa solum ponatur, ut saepe fit ab homine mentis inope, aut distracto, mechanicae tantum sunt, et dici possunt actiones. Morales vero sunt et nuncupantur, quod altero earum principio cognoscente, et volente ponantur; qui quidem agendi modus rationalis naturae, humanorumque morum proprius est: hominisque actiones eo modo elicitaе, et morales idcirco nuncupatae, virtute physica, mentis directione, voluntatis arbitrio producuntur.

Quaeri hic forsitan potest, sitne etiam libertas conditio necessaria actuum moralium. Actiones omni ex parte necessariae possunt ne morales esse et dici?

Quaestioni fere toti de voce, ad rem tamen facien-  
 ti, duplici animadversione fiet satis. Mores dati cu-  
 juscumque viventis generaliter dicimus agendi con-  
 suetudinem, et rationem, naturali ejus indoli con-  
 formem. Ita enim leonis, vulpis, caeterorum ani-  
 mantium mores statuimus et distinguimus. Mores la-  
 tissimo hoc sensu usurpati neque liberi, neque a-  
 ctiones morales ex indole propria existunt. Actio-  
 nes morales proprie dictae supradictis conditionibus  
 libertatem addunt. Atque postremae hujus conditio-  
 nis ratione actus humani, morales, honesti, aut in-  
 honesti dicuntur et existunt.

Ex data hac rerum expositione sequentes notio-  
 nes statues toti Ethicae, et Philosophiae morali ne-  
 cessarias. Ens pure physicum est, quod physice in  
 rebus est, aut esse potest. Ens morale, quod vo-  
 luntatis opus et effectus existit. Causa physica est,  
 quae physica virtute: moralis, quae voluntate agit:  
 effectus et actio physica, quae physicae virtuti: mo-  
 ralis quae voluntati, hoc est causae morali, tribui-  
 tur. Ens vero, causa, actio, effectus physico-mo-  
 rales sunt, qui utramque habent rationem; omnia  
 entia moralia virtute etiam physica existunt; sunt-  
 que idcirco, dicique possunt physico-moralia: cum  
 tamen solum esse morale in iis plerumque attenda-  
 tur, distinctam inde entium classem constituunt.

Duo itaque agnosci debent entium ordines, phy-  
 sicus, et moralis. De primo rerum ordine alibi lu-  
 culenter disputavimus: ejus exemplum est materia-  
 lis haec rerum universitas. Moralium vero rerum phy-  
 sicis respondentium, exempla suppeditant, et existunt  
 omnes humanae societates. Imperator, imperium, sub-  
 ditus, subjectio, servitus, jubere, obedire, infini-  
 taque hujusmodi alia humanae voluntatis opera, et  
 institutiones mundum moralem constituunt, physico  
 per omnia respondentem. Luculentius haec forsitan

alibi . Actiones igitur morales proprie dictae, de quibus in Ethica agimus, et voluntariae, et liberae esse debent: eoque tantum pacto ii actus dici possunt humani, honesti aut turpes existere, laude aut vituperio digni. Haec cum dico, humanae voluntatis, et actionum libertatem suppono, fuse alibi demonstratam. Actiones non liberae mechanica necessitate producuntur. Quatenus autem agentis honestas, meritum, aut demeritum, dum physica naturae necessitate agitur potius, quam agat, purum suarum actionum instrumentum? Morales igitur actiones sunt, quae ab anima cognoscente volente, et libera ponuntur. Ebrii, infantis, furiosi hominis actiones, ob mentis defectum, actus morales non existunt: idemque est, si libertas, aut volitio desiderentur. Ex tribus hisce moralitatis conditionibus, cognitione, volitione, libertate; postrema fuse in Metaphysicis demonstrata, jure supponitur in Ethica. De cognitione et ignorantia ad rem moralem facientibus statim, cum de conscientia, sermo erit. *Velle seu voluntarium* modo exponendum.

§. XIV.

*Voluntarium, et involuntarium ad actiones morales spectantia.*

**N**eque moralitas actionum sine earum libertate, neque actus liberi, quin voluntarii existant: voluntarium dicitur, quod scientes et volentes virtute agimus nostra. Tria itaque ad voluntarii rationem optis sunt, agentis virtus, cognitio, voluntas. Ubi alterum eorum desit, voluntarium non existit, sed involuntarium, coactum, violentum, aut naturale tantum nuncupatur. Cadat lapis virtute sua intrinsicca, vel sursum a vi externa projiciatur. Bestia aut furiosus in hominem irruat; sit qui ad rem

a se cognitam agendum contra voluntatis inclinationem externa virtute adigatur, homo tandem violenta passione abreptus, aut sedato animo actionem, ejusque finem sibi velit, atque exequatur. Motus quidem in primo casu dicitur *naturalis*: *violentus* in secundo, *spontaneus* in tertio: quartus *coactus*, duo postremi *voluntarii*; solus tamen ultimus *liber*. Omnis actio libera, atque proinde moralis est etiam voluntaria: non tamen vicissim: voluntarium tam liberum, quam necessarium esse potest. Actus naturalis est, qui ab agente secundum intrinsecam ejus indolem fit. Causarum cogitantium aut non cogitantium, neque volentium potest esse effectus. Naturali in hoc sensu usurpato, opponitur violentum, quod cum involuntario, et coacto promiscue saepe confunditur: licet inter se se distinguantur. Violentum est actio extrinsecus in agente contra naturalem ejus indolem peracta. Naturali igitur proprie opponitur. Coactum violento superaddit imperfectam saltem cognitionem; est itaque quod causa cognoscens agere cogitur: spontaneum coacto oppositum, est actio secundum voluntatis inclinationem cum aliqua cognitione elicita. Involuntarium denique proprie nuncupatum est, quod fit praeter voluntatem agentis, cognoscentis.

Ex hisce notionibus ad Ethicam, et universam scientiam moralem necessariis, patet naturale, spontaneum, voluntarium ex una parte, ex altera vero, violentum, coactum, involuntarium, duos esse rerum et notionum ordines sibi oppositos, et quodammodo respondentem: ita ut in quolibet ordine subsequentes gradus aliquid addant antecedentibus. Naturali opponitur violentum, spontaneo violentum, et coactum, voluntario violentum, coactum, involuntarium. Cum oppositae illae voluntatis actiones ex diversis principiis eliciantur, et proprium discrimen

habeant; ex iisque principiis saepe ad agendum excitemur, plurimae humanae actiones aut de oppositorum actuum rationibus participant, aut in proprio ordine intensiores, remissioresque evadunt. Explicatius haec tradenda sunt, humanarum actionum doctrinae intelligendae necessaria.

Dico igitur I. violentum ita opponitur voluntario, ut actus ex principio violentus nequeat esse voluntarius: et vicissim. Voluntarium est ex principio intrinseco secundum voluntatis inclinationem: violentum vero inclinationem illam, et principium excludit. Propositioni evincendae brevis haec idearum expositio satis. Inter actus voluntatis aliqui ab illa per sese eliciuntur, quales sunt volitio, amor, odium, caeteri: aliqui ab illa decernuntur viribus tamen, seu potentiis corporis producendi, cujusmodi sunt externae omnes actiones. Priores quidem cum sola voluntate fiant; necessario debent esse voluntarii. Posteriores vero, cum externis eorum principiis virtus aliqua necessaria addi queat, violentiam saepe patiuntur. Si aliquem amo; volens quidem amo: convulsionibus tamen agitatus, nolens manus, pedesque moveo. Hanc quidem voluntatis, actionumque nostrarum indolem et modum per se quisque videt. Utrum vero humanae voluntati circa elicitos etiam ejus actus inferri a Deo possit violentia; ii disputent, qui quaestionibus de possibili, atque inutilibus delectantur.

Dico II. Metus voluntarium quidem minuit, non tamen tollit: hoc est, actiones ob metum a nobis exercitae re quidem sunt voluntariae; minus tamen, quam si omnis abesset timor ad illas agendum inducens. Contra primas hostium turmas ex adverso occurrentes irruit armatus miles. Ex certo capitis metu ad mortem fere certam pergit: non perrecturus, si a periculo posset citra dedecus se se sub-

trahere; cum ea subtractio, in praesenti armorum conflictu sit impossibilis, volens in hostes irruit. Fit quidem metu ut aegre hostem aggredi velit: vult tamen, et volens irruit. Mercator ob naufragii periculum et metum merces in mare projicit: vellet quidem non jactare; si salva vita, id posset: quoniam in praesenti periculo aut vita, aut merces amittendae sunt; potiorque est vivendi, quam divitiarum amor; postremum hunc amorem priori cedere opus est. Mercium igitur projectio ex amore vitae derivans in iis rerum circumstantiis voluntaria est; quodam tamen displicentiae sensu temperata. Hujusmodi igitur actiones sunt ex voluntario, et involuntario mixtae; praevalet tamen voluntarii ratio. Sublatis praesentibus rerum circumstantiis non fierent; iis tamen positis voluntate fiunt.

Id etiam, spectatis, earum actionum notionibus, et principiis confirmatur. Illa mercium projectio fit a principio intrinseco rem cognoscente, et in iis rerum circumstantiis volente; haec vero est integra voluntariae actionis notio, atque definitio. Duo vero ejus actionis principia distinguimus; metum, et voluntatem: metus in voluntatem, voluntas in actionem agit. In id ergo unum res tota resolvitur: mens et voluntas inter vitae et mercium amorem, inter metum mortis, et conservationem mercium deliberat: rebusque hinc inde expensis atque deliberatis, ex vitae amore, mortisque metu projiciendarum mercium consilium amplectitur, vitam fortunis omnibus praeferebat. Haec agendi ratio secum consulere, deliberare, consilium exequi, quid tandem est nisi voluntate agere?

Clarius adhuc, magisque res constabit, si sequentes discutiantur scrupuli. Quod metu agimus nonne inviti, et nolentes agimus? Metu uno cogimur, externo enim vero principio; quoniam ergo pacto vo-

luntarium dicitur, quod a principio interno cogno-  
 scente, et volente esse debet? 2. Actiones ex me-  
 tu peractae, sublato metu, seu metus causa, non fie-  
 rent: una earum causa existit timor: illo non exi-  
 stente, nobisque relictis illa nequaquam ageremus.  
 3. Unde etiam est, quod contractus, donationes,  
 promissiones, metu a nobis extortae humanis legi-  
 bus decernuntur irritae, nisi quod extortae tantum  
 sunt actiones citra voluntatis consensum positae?  
 Tandem liberae ne sunt hujusmodi actiones, vo-  
 luntariae a nobis nuncupatae? Quod ex metu agi-  
 mus, respondeo, a voluntate, principio enim vero  
 intrinseco agimus. Metus vero non physicum actio-  
 nis principium, sed voluntatis tantummodo existit  
 motivum, ut dicitur, quo illa tandem ad actum per-  
 agendum iis rerum circumstantiis bonum, utile, ne-  
 cessarium flectitur. Brachium gangraena correptum,  
 sibi amputari ex metu mortis permittit aegrotus.  
 Dices ne vero hujusmodi permissionem esse invo-  
 luntariam, a principio extrinseco; invitum, coactum,  
 nolentem id permittere? Imo remedium molestissi-  
 mum, sed necessarium desiderat. Nollemus quidem  
 nos ad illas rerum circumstantias devenisse; iis ta-  
 men positis, neque invitum, neque coactum, neque no-  
 lentes, sed volentes agimus. Res in brachii ampu-  
 tatione est manifesta. Metu enim vero sublato, in-  
 quis, hoc est praesenti malo, et circumstantiis non  
 existentibus, neque projicerentur merces, neque am-  
 putari permetteretur brachium. Unum tamen inde  
 consequitur, metum esse motivum, aut conditio-  
 nem ad actum illum voluntarium necessariam. Bra-  
 chium tibi amputari ex se se abhorres: in casu ta-  
 men gangraenae, rem amplius non abhorres, tibi de-  
 relictus potius desideras.

Circa contractus, donationes, promissiones, quod  
 tertio loco opponis, duo distinguenda sunt; quid

illa in natura rerum; quid etiam in legali societate existant. Esse quidem natura, non tamen omni ex parte voluntarios satis hucusque demonstratum. Cum vero humanae leges eo maxime respiciant, ut civium vitam, fortunas, libertatem naturaliaque hominum jura tueantur, libertati vero et naturali Civium juri opponatur contractus, donationes, promissiones metu et violentia ab hominibus liberis et alias nolentibus extorquere; Civilibus Legibus ejusmodi injuriis cautum. Eaque propter contractus metu extorti jure humano declarantur irriti. Legislatoris sane munus est, civilibus actionibus adjungere condiciones, ratione dictatas, et humanarum societatum, legumque fini conformes.

Quod si, sint ipsa per me vera, dicas: quid tamen si contractus metu extortos ante leges civiles, et in solo naturae statu, consideremus? Si voluntarios diximus; tenent ergo, lege tantum naturali spectata. Quid tamen iniquius, quam me, hominem natura liberum, mortalium nemini subditum, una tantum lege naturae viventem, ad rem prestandam, teneri quam praepotens homo ex metu injuste incusso me promittere impellit? Respondeo: ex quo praedicti contractus sint voluntarii, non sequitur esse etiam in statu naturae validos; licet aliqui illos secundum puram naturalem legem tenere autument, ea ducti ratione, quod voluntarii sint, neque princeps, aut judex eo in statu existat, a quo rescindantur. Quidquid tamen alii sentiant, promissiones, aliosque contractus gravi injustoque metu extortos, etsi voluntarii, in statu Naturae invalidos esse existimo. Rem vero ad haec capita reduco. Qui eo in statu praepotenter mecum agit, naturalem libertatem infringit, potentiaque abutitur injurius. Mei vero est jus meum vindicare, cum possim. Ea praeterea tantum est, atque esse debet, et potest hominis metu contrahen-



tis mens, ut pro praesentibus tantum circumstantiis, dum gravi, injustoque metu cogitur, promissis teneri, et stare consentiat: dissensurus iterum, cum sublato metu, naturalem recuperet libertatem. Tum enim vero suarum actionum, et voluntatis dominus, aut antecedentem contractum voluntarium profitetur nullum, aut plane ipse rescindit. Haec metum patientis mens incutientem non latet: cum, mutata sorte, eandem ipse pro se ferret sententiam.

Dico 3. Concupiscentia, animi passiones, et affectus voluntarium augment, seu intendunt circa eorum objectum. Si animo actionem cognoscenti, volenti, et ad illam ex se se deliberato, accedat affectus, passio, concupiscentia in idem objectum alliciens, propensior inde fit ad actionem voluntas. Fieri tamen potest, et saepe fit, ut passiones et affectus, concupiscentia alio ex capite, voluntarium minuunt: ad eam scilicet intensionem perductae, qua mentem jam offuscant: unde minus cognoscatur actio peragenda: cum objecti cognitio sit conditio ad voluntarium necessaria. Passio tantum voluntariae actioni detrahit, quantum illius cognitionem obscurat. Quod si vehementissime, ut non raro etiam fit, intendatur passio, aut affectus, sicut malitiam actionis, rationem obtenebrando, ita et voluntarium tollunt. Homines hoc modo passione aliqua insanientes, aut vehementi irae motu repente concitati, in vindictam prorumpunt, neque malam, neque voluntariam ponunt actionem.

Dico 4. Ignorantia tandem gerendae, aut gestae actionis ab ea tollit rationem voluntarii. Voluntatis indoles est, nonnisi cognita desiderare, et velle. Ad actionis imputationem declinandam generale hoc est, atque vulgo notissimum excusationis caput *nesciebam*. Saepe accidit, ut actionem ad diversos fi-

nes inservientem, plurimasque circumstantias complectentem, quarum alia sciri, alia ignorari ab agente possunt, partim voluntariam, partim etiam involuntariam merito dicamus. Et haec quidem de ignorantia relatu ad voluntarium dicta intellige: quod vero actionis imputationem, honestatem, aut malitiam moralem attinet, multiplex distinguenda est, ignorantiae species, atque circumstantiae: de quibus inferius agendum.

Ex quatuor igitur principiis, aut conditionibus in voluntatem agentibus, violentia, metu, passione, seu concupiscentia, atque ignorantia; violentia, et ignorantia tollunt, metus minuit, concupiscentia, et passio voluntarium augent. Voluntariae actionis liberae, praecipuum caput est moralis ejusdem bonitas, aut malitia.

#### §. XV.

#### *Humanarum actionum bonitas moralis.*

**R**atio voluntarii, humanis actionibus conveniens, et asserta, ad earum bonitatem, et malitiam, quarum est fundamentum necessarium, supposita alias earum libertate, per se se ducit: nisi enim sint voluntariae, non sunt etiam liberae; nisi liberae, neque etiam bonae, aut malae. Bonitas ergo et malitia moralis libertatem; libertas voluntarium supponit. Actionibus igitur, ut voluntariae sunt, jam spectatis, earum libertate alias demonstrata; ad moralem earum bonitatem, et malitiam expendendum descendamus, quae generalem boni et mali notionem secum defert. Quid igitur rei est humanarum actionum bonitas, quotuplex bonitatis species iisdem conveniens? Generali Boni notione superius data in metaphysicum, physicum, et morale divisa, singulis seorsim definitis, metaphysico alibi exposi-

to, de reliquis bonis ad humanam felicitatem propius facientibus agendum.

Circa haec indubium est, 1. Bonum physicum, et morale existere. Primum demonstrant sensus omnes, et integrum hoc universum: alterum vero Dei Legislatoris existentia, humanaque libertas in Metaphysicis demonstrata, et nostra tandem hominum conscientia. 2. Bona physica in pura physica, et physico-moralia dividuntur. Bonorum pure physicorum plurima sunt genera et divisiones non attingendae: Bonum physico-morale dicimus, quod et ad physicum hominis statum seu perfectionem, et ad morum etiam honestatem pertinet: qualia sunt plurima hominis officia, quae dum praestamus, et physicum beneficium, et morale meritum comparamus. Qui pharmacum recuperandae aut servandae sanitatis gratia ex legis naturalis et superiorum jussu assumit, duplicis illius Boni auctor est, atque exemplum. Bonum tandem generatim in honestum, utile, delectabile vulgo dividitur.

Idem vero est, ejusmodi divisionem statuere, atque tria illa honestum, utile, et delectabile bona esse, et a se mutuo distingui affirmare. In membra enim non vera aut inter se non distincta fieri non potest divisio. Tria ergo illa sunt reapse bona? Si sunt bona, sunt etiam inter se distincta. Honestum, et delectabile inter se existere distincta, vulgo omnes conveniunt. Est tamen bonum aliquod reapse utile, ab honesto distinctum? Si quidquid non est honestum, non est etiam utile, omneque proinde objectum, aut actio reapse nobis utilis, est etiam honesta; vitiosa proculdubio est adducta divisio, inter veteres Philosophos Stoicos, Peripateticos, Academicos et Epicureos olim celebris.

Stoici honestum tantummodo Bonum esse contendebant, eoque nomine donabant; Peripateticis, at-

que Academicis ex adverso *utile* atque *jucundum* inter bona re, et voce annumerantibus, quae Stoici non bona, sed *praeposita* dicebant. Secundum Stoicos igitur falsa habetur adducta Boni divisio a Peripateticis, et Academicis probata. Tullium legenti expositam quaestionem toto elegantiae lumine tractantem, et secundum Peripateticos definientem, voce magis, quam re dissidium esse videtur. Utilia enim inutilibus, jucunda injucundis praeposita, hoc est praeferenda, dum dicunt Stoici, quid aliud statuunt, quam illa esse oppositis meliora, eaque propter magis facienda? Quae autem meliora, quare non etiam eo in sensu bona? Quid enim si Peripateticus Stoico dicat; quae tu praeposita, ea per te liceat nuncupare bona? Quaestio ex natura rerum, atque notione Boni penitus eruenda. Quid igitur Bonum generatim, quid etiam malum? Verae utriusque notiones quaerantur: ex quibus tandem tota res deducetur.

Quoniam Bonum juxta definitionem superius datam est rei perfectio, seu quidquid ad ipsius existentiam, conservationem, perfectionem facit; rerum autem nomine vel integram creaturarum complexiorem, vel peculiaria objecta intelligimus, inde fluit; Bonum in generale et peculiare primo dividi; 2. in pure physicum, pure morale, et physico-morale. 3. in bonum purum, et impurum, seu ex malis, atque imperfectionibus compositum. 4. unam eandemque actionem, cum ad diversos ordines spectet, physicum, et moralem, posse in uno quidem esse bonam, non tamen in alio. Quidquid ad physicam rerum perfectionem facit, est bonum physicum: generale quidem, si ad plura rerum genera, aut integrum systema; peculiare si ad unius tantum aut alterius rei perfectionem spectat. Sed haec boni consideratio integrum rerum omnium, causarum, actio-

num, et effectuum systema comprehendens, Metaphysicae propria est: in qua omnia a Deo optimo maximo secundum naturam physicam producta, et ad conceptum a Deo ipso finem inservientia demonstrantur bona. Neque de hisce in Metaphysica demonstratis ullum est dubium in Ethica.

Quae in hac postrema tractantur, atque honesta, utilia, et jucunda dicuntur, non quidem objecta omnia, sed actiones humanas, earumque effectus, et objecta complectuntur. Et honestas quidem ad solum morale, hoc est, ad animam et mores; utilitas ad morale, et physicum; jucunditas ad externos, internumque animae sensum refertur. Honestum igitur, utile, jucundum, bona physica, aut physico-moralia, aut pure moralia, in Ethica significant, et notione sua deferunt. Bona scilicet esse pure physica, esse etiam physico-moralia, res est ex rerum notionibus indubia. Hisce positis, communi sensu probatis, et postulatorum nomine dignis, totam quaestionem facile solves.

*Dico igitur: omnes actiones, effectus, et objecta hominem reapse perficientia, et meliorantia eo in genere sunt bona, quo homini illud beneficium praestant.*

Datam superius notionem Boni perpendenti, nullus superest dubitandi locus. Quidquid hominem, creaturam physico-rationalem, moralium actionum principium, secundum illius naturam corpore, mente, animo perficit, est proculdubio humanae naturae bonum. Inde enim vero est, quod bona merito nuncupamus, physicum remedium recuperandae, aut servandae saluti aptum, militaris virtutis actiones physico-morales; puros denique benevolentiae, et christianae charitatis actus erga pauperes, imo et erga privatum inimicum editos.

Quod per se se appetit physica natura rationi

non contrarium, et in quod sua sponte, et naturali indole fertur, atque quodammodo rapitur, non nisi bonum esse potest. Physica enim rationalique indole appetere, et quaerere, est proculdubio agere secundum naturae legem, a Deo stabilitam, atque idcirco bonam, et in bonum comparandum directa. Nihil vero esse hominibus magis commune, et naturale, quam res sibi utiles, et sensibus jucundas quaerere, quisque sibi testis est, et exemplum. Utilia et jucunda quaerendo hoc unum mente habemus, laetos contentosque vivere, feliciores, fortunatiores futuros. Felicitas autem sine Bono, neque re existit, neque concipitur idea.

Non una mihi opponi posset actio, aut res quaecumque, in speciem quidem physice utilis, aut reapse jucunda, cum vera tamen morum honestate pugnans. Quot enim in humana vita, et societate non occurrunt hujusmodi bona? Jucunda saepe sanitati, fortunae, moribus noxia: plurima etiam nuncupata vulgo utilia, vindicta, fortunarum comparatio, milleque hujusmodi alia per fas nefasque tentata, aut facta, morum honestati, hoc est, morali hominum bono contraria. Ita ratiocinanti duo repono. 1. hujusmodi actiones, aut objecta propositione non comprehendi. De rebus tantum, et actionibus nos loqui ita suo in genere hominem perficientibus, ut in alio altioris ordinis non deturpent, eique noceant. Quid enim vero id non dicam bonum, unde gratam animo aut sensibus jucunditatem, aut physicum beneficium percipio, citra ullam turpitudinem, atque honestatis defectum? 2. Actiones in speciem utiles, aut etiam sensibus reapse jucundas, morum tamen honestati contrarias, verum reapse esse malum aliqua bonitatis specie, aut ratione temperatum. De hoc tamen statim.

*Corollarium 1.* Quoniam igitur homo est animans ex corpore, et anima cogitante, libera, moralitatis capaci compositum; triplicique actionum genere, et rerum ordine perfici potest, pure physico, physico-morali, et pure morali; tot etiam statuenda sunt bonorum genera ad hominem, et institutum nostrum spectantia. Pure physicum ad corpus, et mentem spectat, atque bonum utile existit: physico-morale actiones animae liberas a corpore tamen proxime etiam pendentes complectitur, secumque fert cum honestate utilitatem; quandoque etiam sensuum jucunditatem. Pure tandem morale actus animi spirituales, liberos comprehendit: idque est praecipuum hominis bonum, in quo praeter honestatem, primum aestimandarum actionum caput, vera utilitas, et spirituale quoddam gaudium, atque animi jucunditas simul existunt.

*Corollarium 2.* Honestum igitur, utile, et jucundum totidem sunt vera hominis bona proprie dicta, inter se distincta, aut saltem diversae ejusdem boni rationes, ad diversa principia, mores, sensus, physicum hominis statum, relativae. Rei veritas ex dato principio, consequitur: tribus hujusmodi rebus vel etiam rationibus perficitur homo. De honesto facile conveniunt omnes; cum ad id caput referantur virtutes morales, vera merita, et animi ornamenta, quibus unis fiunt homines aestimatione, laude, et praemio digni. Praeter haec omne universim honestum, seu omnes actiones honestae una secum ferunt utilitatem, et intimam animi jucunditatem. Sed haec statim. Utile etiam, et jucundum bonis esse adnumeranda pariter confirmant adductae superius rationes. Duplex hoc bonum vel honesto insunt conjuncta, vel ab honestate separata. Rursus vero vel ita sunt separata, ut honesto opponantur, vel citra ullam oppositio-

nem non existunt honesta. Triplicem hanc illorum bonorum combinationem esse in natura, nostraemet actiones demonstrant.

*Corollarium 3.* Inter haec tria bona suus est praecellentionis ordo, atque discrimen: honestumque longo intervallo duo alia superat, illisque merito praefertur. Hoc unum, sin minus verbis, re et mente significabant Stoici. Honestum enim vero animum respicit, et ornat, totum hominis meritum constituit, virtutes omnes complectitur: illoque uno non modo meliores evadimus, sed bene apud homines, rempublicam, humanas societates, et Deum tandem ipsum meremur. Actionum nostrarum honestas, quo nomine virtutes morales universim comprehenduntur, illud unum est, quod bene agentis nuncupari jure possint divitiae, et bona propria, intrinseca, permanentia. Quae utilia tantummodo sunt, aut jucunda, neque meritum, neque animi ornamentum existunt, extrinseca, fluxa, inconstantia, bonis scelestisque hominibus communia. Honestum praeterea, ut jam dixi, praeter intrinsecam bonitatem, qua per se se amari posset, veram etiam utilitatem, atque spiritualem animi jucunditatem secum affert. Nullae honestae actiones, nullum agere honestum, quin etiam existat utile. Quis vero est, qui cum honestate aliquam actionem peregerit, sibi quidem de illa jucunde non placeat, et grata semper memoria recordetur? Contra vero, quae sensuum est jucunditas, actione ipsa evanescit, ingratham post se in animo relinquens vanitatem.

*Corollarium 4.* Utile et jucundum, quatenus honesto non opponuntur, licet honestatem secum non deferant, inter bona recenseri debent. Utilitatem, aut jucunditatem ab honestate et turpitudine disjunctas, supponimus, vel, si mavis, concipimus: eas-



que ita disjunctas, aut conceptas bona esse dicimus. Horum postremum satis conficit ratio boni superius adducta, et argumenta ad rem confirmandam exposita. Alterum tantummodo discutiendum superest. Est ne utile aliquod aut jucundum ab omni honestate, et turpitudine distinctum? Quodcumque statuamus, vera semper est superior propositio, atque boni divisio. Si affirmas, tria reapse bona; si negas, tres boni rationes admittis.

Honestas, utilitas, et jucunditas vel humanarum actionum, vel rerum, atque objectorum propria est. In utroque ordine plurima deprehendimus, quae neque honestatem per se ferunt, neque turpitudinem; quin tamen inde, aut inutilia, aut injucunda dici merito possint. Ut moralem honestatem aut turpitudinem habeant humanae actiones, et a principio intrinseco, et voluntariae, et liberae sint oportet. Quot vero quotidie agimus, aut patimur, aliunde utilia, et jucunda, nobis nequaquam imputanda, nullaque morali proinde honestate praedita? Fit saepe ut qui maligna feбри, aliisque lethalibus aegritudinibus laborant, rebus ad extremum vitae periculum adductis, et desperatis, malo jamjam succumbant, mentis plane impotes, ea in aegro eorum corpore fiat humorum crisis, ut puro deinde naturae beneficio ad pristinam illico restituantur sanitatem. Si illam humorum crisin, rem scilicet neque turpem, neque moraliter honestam, esse vocarique utilem et bonam non concedis; tecum amplius non agam: de ideis primisque rerum notionibus non convenimus. Sicuti rerum, ita et actionum infinita sunt hujusmodi exempla. Quot enim saepe distracti, circumstantiarum inscii, praeter intentionem agimus? Plurimae igitur sunt res, actiones, facta, morali honestate, aut turpitudine non praeditae, et quae nihilominus utiles esse possunt, atque jucundae.

Aliquod ergo statuimus utile, dices, quod non sit honestum? Id vero esset, gravissimam philosophiae moralis quaestionem, acriter olim inter veteres agitatam pro ea parte definire, quae religioni, rationi, moribus opponitur; illique Epicureorum sententiae quodammodo favere, *utilitas justis prope mater, et aequi*. Respondeo, absit, ut ego de utili, et honesto ita statuam. Alius longe est a modo dictis indicatae quaestionis sensus, paucis modo evolvendus. Est ne scilicet aliquid in genere morum vere utile, quod non sit honestum? Actio humana turpis potest ne esse utilis. Quaestionis definitio ex superiori illa Boni divisione in pure physicum, physico-morale, et pure morale, atque ex aliis hucusque dictis consequitur.

Dico igitur: *Nihil reapse est utile in genere morum, quod insimul non sit honestum; objectum aut actio quaecumque moralis non honesta, etsi in speciem, et secundum aliquam rationem appareat, reapse tamen non est utilis*. Haec veritas ex primitivis rerum notionibus, ex penitiori humanae naturae, et philosophiae contemplatione derivans, honestatis morum, et humanorum societatum fundamentum profunde in Animo infigi debet. Sicuti moralis actionum honestas, unum est hominis meritum laude, commendatione, praemio dignum, verum animae ornamentum per se se amabile, omnique loco, aetate, temporibus utile; altioris ordinis bonum existit, omnibus aliis longissimo intervallo anteponendum, vixque cum iis comparandum; ita et moralis turpitudine, unum hominis demeritum, atque naevus, omnique loco, tempore, aetate, vituperio dignum, et noxium, vel unum reapse est malum: vel si quae alia sint, et dicantur peculiariter mala physice noxia, aut injucunda, infinito intervallo morali turpitudine superentur. Nihil

enim vero turpe, quamvis in specie utile, quod legem aliquam naturalem divinam, aut humanam non laedat, et communi hominum bono non opponatur. Quid enim turpe nisi per leges? Quid vero esset commune hominum bonum, si ut ego, ita alios turpiter agere, et privatam tantummodo utilitatem contra aliorum jura prosequi concipiam? Quae inde non consequerentur mala commune hominum bonum, et felicitatem evertentia? Utile igitur per fas et nefas prosequi, nos proculdubio faceret Deo, hominibus, nobis odiosos; Deo quidem, quia honestatem, divina lege praescriptam, privatis commodis postferimus, parum de Legislatore solliciti, cujus legem contempnimus; societati vero, quod commune reipublicae bonum prae nostro parvi pendamus: itaque proinde cogitando, vivendo, agendo nostrae apud homines existimationi, nomini, et vitae civili damnum inferimus; quin etiam te ipsum eo pacto agendo non probas, dum tuarum actionum, et recti conscius longe te ab honestatis lege declinare concedis. Id vero non modo in speciem, sed re etiam utile dices, cujus ratione evadas Deo infensus, hominibus odiosus, et tuomet rationis dictamini contrarius? Vertamus parumper folium: utile omne honesto contrarium constanter a nobis contemni, et honesti ratione semper duci ponamus. Quales tum vero nos apud Deum, apud homines? Deo, atque hominibus cari, nobis etiam amici interna animi tranquillitate fruimur.

## §. XVI.

*Humanarum actionum rectitudo, atque honestas.*

**P**erinde ut veritas, atque falsitas actuum intellectus proprietates existunt; Logicae vero est eorum veritatem, quaerere, examinare, et statuere;

ita et bonitas, et malitia, seu rectitudo, et turpitududo, humanorum voluntatis actuum propriae sunt; moralisque philosophia humanarum actionum honestatem, seu morale bonum perscrutatur, atque definit. Sicut ergo in Logica naturam et criterium veritatis, seu veri, ita pariter in Ethica notionem, atque criterium honestatis, seu boni moralis tradere oportet: utriusque argumenti eadem est ratio ad suam cujusque scientiam, aut artem: eademque fere modo statuenda in Ethica, circa bonum morale, quae dicta fuerunt in arte critica, circa veritatem logicam.

Quid de veritate, ejusque criterio senserint veteres, teneant, demonstrentque recentiores, fuse in loco prosequimur: parque fere est circa morale bonum et honestatem Philosophorum dissensio. Hisce tamen praetermissis, sicut alias de veritate, sic in Ethica de morali bonitate statuenda sunt sequentia: 1. Esse in rebus, seu actibus humanis veram honestatem, sicut et turpitudinem. 2. Esse etiam veram, esse et pure apparentem bonitatem, atque malitiam: sicut de veritate, atque falsitate fuit suo loco demonstratum. Actus humani intellectus, et voluntatis re quidem falsos, et turpes, specie tamen veros, atque bonos esse, et vicissim, nos saepe docent propria pericula, atque experientia. In utraque animae facultate, atque actibus sua sunt sophismata, paralogismi, probanda, aut improbanda hypocrisia. 3. Sicut igitur veritatis, ita et honestatis actionum certum aliquod esse debet criterium, quo a non honestis distinguantur. Id vero honestatis morale criterium ejusmodi esse oportet, quod semel ac in humana aliqua actione discernatur, illius approbationem secum ferat, atque a communi hominum extorqueat: sicut de veritatis criterio statuimus. 4. Quid tandem rei est honesti, justique

eriterium, et insimul rectitudo humanarum actionum? Est ne illa intrinseca, et evidens conformitas actionis cum primitiva aliqua et naturali regula morum? Quid vero primitiva haec morum regula? Quid regulae ipsius, hoc est totius moralitatis, fundamentum? Naturalisne ratio, lex aliqua Dei, an ipsamet notionum rerumque natura per se se quidem bona aut mala?

Circa primum caput nihil immorandum. Undecumque humanis actionibus liberis rectitudo, aut moralis malitia proveniat, in quo magna est philosophantium dissensio statim discutienda, illas tamen honestas esse, aut turpes, laude, aut vituperio dignas, conveniunt omnes; et res ipsa per se se est manifesta: cum enim sint a principio libero, suarumque actionum domino; cum rationabiles sint oporteat, certumque finem constanter respiciant: cum secundum certam aliquam regulam dirigantur; cum tandem alicui subsint legi; si secundum hujusmodi finem, regulam, legem fiant, honestae, atque laudabiles: sin minus turpes, atque vituperio dignae existunt.

Quod secundum attinet, sicut in intellectus, ita et in voluntatis actibus sua est evidentia, certitudo, probabilitas, dubium, apparens falsaque certitudo, in illis quidem veritatis, in his autem rectitudinis, aut honestatis. Quod malum hominibus communius, quam vano veritatis phantasmate duci, erroremque vice veritatis amplecti? Specie etiam boni in malum nos saepe duci, saepissime vero actiones ratione, legibus, et ipsarummet natura veritas, a nobis peragi quadam boni specie delusis, tristi experimento edocemur omnibus hominibus communi.

Quod tertio diximus, per se se patet, atque ex principiis superius demonstratis, aut positis sponte fluit. Dei Optimi Maximi rationabiles creaturae exi-

stimus , a Deo sumus , ad Deum tendimus . Ad tantum vero finem perveniendi ratio , et via est actionum honestas ratione ducta . Nullum de hisce omnibus dubium . Haec vero , quin aliquod sit honestatis criterium , certaue ratio honestum a non honesto discernendi ? Id jam esset male de Numinis Providentia sentire , omnia caeco casu , aut Pyrrhonismo involvere . Honestae agere liberae causae opus est ; nulla vero libertas absque agendarum rerum cognitione : honeste igitur agendi libertas , citra honesti a turpi discretionem , vocabulum esset significatione vacuum .

Quartum longiori discussione opus habet . Actionum humanarum naturalis rectitudo est illarum conformitas cum regula morum naturali , qua a natura , hoc est , a Deo , naturae auctore donati , atque instructi sumus . Naturalis haec morum regula est recta ratio naturalis , seu lumen rationis hominibus innatum , quod potissimum est humanae naturae a caeteris animantibus discrimen . Eadem vero actionum conformitas cum rationis directione earum honestas existit . Tandem hujus honestatis criterium est illa expositae conformitatis evidentia , quae ab homine quocumque ratione praedito approbationem , atque laudem extorquet . Penitus haec omnia evolvamus , atque ex *dati*s huic operi praemissis , totiusque moralis philosophiae fundamentis deducamus : 1. Deus universitatis rerum auctor , infinitae Providentiae Numen , res omnes secundum rationis consilium creavit . Haec enim vero est intelligentis , atque rationabilis causae necessaria conditio , et a caeco casu , omnia citra ordinem volventis , essentielle discrimen . Quaeenam major idearum contradictio , quam in ipsius infinitae rationis Numine nullum agnoscere consilium ?

2. Mundum igitur , omnesque illius creaturas ad

praestitutum aliquem finem condidit, certasque in opere suo statuit leges, rem omnem ad praevisum finem ducentes. Nulla sane Providentia sine certis agendi rationibus datum finem respicientibus. Si consilia consiliis, legesque legibus contrariis mutantur; si nullae leges, si nulla constans agendi regula scopum semper respiciens, si incerta procedant omnia, contrariaque contrariis saepe mutantur: neque providentia intelligitur, neque rationalis agendi modus.

3. Auctoris leges, et ordinatio naturis rerum proportionatae esse debent, physicae nimirum, rationales, et morales, pro triplici rerum ordine mundum constituentium. Corpora, ratio, mores, seu entia materialia rationalia, moralia, en totam rerum universitatem. Mundi materialis, et rationalis certae sunt leges, quarum primas late in Physica prosequimur, posteriores vero in Logica, et Metaphysica. Nullane vero per Deum omniscium, omnipotentem, optimum mundi moralis esse principia, morum leges, et constantes regulas? Homo Dei providentis Creatura, intelligens, libera, suarum actionum dominus, ad vitam immortalem, atque finem naturae suae proportionatum creatus; possetne ad finem illi a Deo praestitutum libere agendo pervenire, quin certam haberet, et constantem agendi vivendique regulam, qua veluti lumine per medias tenebras directus ad felicem suae vitae terminum perveniret securus? Agentis enim vero intelligentis, liberi, suarum actionum domini, imputationis, et moralitatis capacis directio, et actionum regula est ratio. Haec una scilicet homini moraliter agenti semper intime praesens veritatem, viam, terminum demonstrat; veritatem quidem rerum, viae, atque actionum rectitudinem, finem, existentiam. Secundum regulam vero, atque directionem nobis a Deo datam ad finem a Deo praescriptum libere agere, est bene at-

que laudabiliter agere. Quid enim actionis moralis rectitudo, nisi secundum regulam dirigentem fieri? Rectitudo autem actionis moralis est ipsiusmet actionis honestas. Quo nomine intelligitur actionis cum recta ratione convenientia, communi hominum sensu probata, tamquam laude, et praemio digna.

Quod si modo quaeras, quid tandem sit moralis actionis honestae, seu honestatis criterium; ab evidenti hac rerum deductione facile tibi ipsi facies satis. Cum libere aliquid agis ad mores spectans; unde tandem, cuive principio acquiescis de tuamet honestate securus? Quia, inquires naturali rectaeque rationi clare adeo conforme illud esse video, ut velim, nolim, honestum id necessario pronuntiem. En igitur naturale honestatis criterium, *evidentem actionis cum recta ratione conformitatem*. Nullus mortalium est, qui eo cum devenerit, propriasmet actiones examinando, ulterius adhuc perscrutando quaerat, aut plane non acquiescat; haec vero duo sunt proprius criterii character.

Quae tamen recta ratio, et rectae rationis Judex? Id enim adhuc definiendum superest, ad honestatis criterium, nulla tandem exceptione asserendum. Quot enim vero morales actiones inter se contrariae diversis nationibus, usibus, et consuetudine probantur, rectae rationi conformes ab iis proculdubio existimatae? Saepe fit, ut quod apud unam gentem tenetur innoxium, apud alios pronuntietur injustum. Nihilominus honeste utrimque agi, atque rectam rationem pro se se stare existimant tot contrariarum actionum, atque sententiarum auctores. Ratio ne igitur apud Sinas recta, inter Europaeos existit transversa? Non una, eademque recta ratio apud omnes universim populos? Ut omnis tollatur sensuum, et verborum ambiguitas in praesenti argumento, si qua alia in re, periculoso errorum fonte; verborum sen-



sus auctore definiendi, et sensuum veritas demon-  
 stranda. Rectae rationis nomine intelligendum ab om-  
 nibus est, naturale cogitandi lumen humanae menti  
 innatum, de primitivis, et evidentibus principiis su-  
 perius expositis, utcumque instructum, aut praeju-  
 diciis saltem oppositis non imbutum: seu est huma-  
 na ratio, ut illam a Deo accipimus. Nihil a Deo,  
 nisi purum, atque rectum: nobis tantum tribuen-  
 dum, si rationem nobis a Deo datam ad verum co-  
 gnoscendum, honesta agenda, felicitatem assequen-  
 dam, vitio nostro, et hominis praejudiciis, atque  
 passionibus corrumpimus. Cum ad ejusmodi finem  
 mentis lumen ab auctore Deo habeamus; rectae ra-  
 tionis character est primitiva illa, et evidentia prin-  
 cipia intelligere, quae veritatis, honestatis, et bea-  
 titudinis fundamenta sunt, et essentialia elementa.  
 En igitur rectam rationem, et quid hoc nomine in-  
 telligere debeamus. Recta propterea semper est hu-  
 mana ratio, recteque de objectis quibuscumque a se  
 cognitis statuit, dum humanis praejudiciis, et pas-  
 sionibus, non flectitur, et hinc aut inde declinat.  
 Nullus mortalium est, qui de rebus prorsus alienis  
 judicans, justam non proferat sententiam. Habes  
 igitur, et rationem rectam, et legitimam veritatis,  
 atque honestatis actionum judicem, verum semper  
 iudicium de utraque proferentem. Jam vero apud  
 homines lumine rationis ita explicato praeditos, nul-  
 la est sententiarum diversitas circa actionum rationi  
 evidenter conformium honestatem. *Evidenter in-*  
*quam,* cum enim de rebus tantum probabilibus, et  
 propterea obscuris agitur; tum vero in diversas qui-  
 dem partes distrahuntur sententiae. Omnes tamen in  
 hujusmodi etiam opinionum diversitate ad rectam ra-  
 tionem, et proprii sensus cum illa conformitatem  
 appellant. Contrariam partem praejudiciis, passioni-  
 bus, rationibus propriis agi, aut principiorum igno-

rantia laborare mutuo sibi exprobrant. Adeo verum est universali hominum sensu, humanam actionem esse honestam, si rectae rationi sit conformis, humanamque rationem esse per se se rectam, et legitimum honestatis actionum iudicem.

Ab evidenti hac rerum expositione patet, nationes de aliquo Legis naturalis praecepto perperam sentientes, et statuentes, aut praeiudicio et ignorantia principiorum naturalium laborare, aut de actione agi non adeo evidenter turpi, ut de illa non posset in speciem saltem probabiliter dubitare.

Quid sit actionum honestas, quid recta ratio, honestatis criterium, et Iudex, hactenus exposuimus. Haec ipsa rerum expositio mentem humanam eo sponte deducit, ut a se ipsa quaerat; 1. Moraliter haec actionum honestas, seu honestum in se spectatum, quin ad nos referatur, voluntatem nostram allicit? Ipsamne amamus, et prosequi tenemur? 2. Suntne omnia honesta pariter honesta; an honestis honestiora existunt: estque proinde certus officiorum ordo circa actiones per se honestas? 3. Quomodo cumque autem haec statuuntur, unde est, et a quonam principio derivatur moralis actionum honestas, et moralia nostra officia? Seu unde est honestas, unde ad honestum tenemur? Quodnam obligationis principium? Natura ipsa rerum, antecedens Dei voluntatem, humana ratio, aut voluntas et lex divina? Singula non parvi momenti capita indicato ordine solvamus.

#### §. XVII.

*Honestum, seu Bonum per se ipsum a nobis amatur, quin ad nos referatur?*

**P**raesens quaestio penitiorum humanae mentis, atque voluntatis indolem tangit, ex illaque est de-

finienda. Bonum vel in se ipso spectari, ut purum bonum potest, quin ad nos referatur, vel ut bonum ad nos relativum. In utroque sensu videtur esse voluntatis objectum: sicut veritas intellectus. Re tamen penitus, atque maturius perpensa, latum animadvertitur inter utramque potentiam, et inter eorum objecta discrimen. Intellectus per sese puro veritatis lumine percussus in illius approbatione sistit: verumque ipsum, etsi in intellectum nequaquam agat, non desinit esse verum. Contraria omnia in voluntate, illiusque objecto deprehenduntur. Bonum quin sit relativum ne concipi quidem potest: amorem vero puram non esse objecti approbationem, sed prosecutionem potius ex voluntate ab objecto affecta manantem, ex rei ipsius analysi docemur. Etsi quod uni est verum, omnibus pariter sit verum; quod uni tamen est bonum, perperam inde aliis etiam diceretur esse bonum. Ut objectum itaque mente approbem, satis est esse verum; ut voluntate prosequar, non satis est aliis, sed mihi etiam oportet esse bonum.

Bonum enim vero quo nihil boni in me, spe saltem aliqua, derivatur, bonum esset sterile, et prorsus inutile; ad me nulla ratione attinet, in me propterea non agit, voluntatem movere et flectere non potest. Unde nihil beneficii, cui, et unde esse et dici potest bonum? Hujusce naturae bonum, si existeret, mente forsitan approbaremus. Aliud tamen est cogitando probare, aliud vero voluntate prosequi. Cum amor sui honestus quidem per se, atque humanae naturae innatus generale sit nostrarum omnium actionum principium; totoque proinde vitae, et actionum nostrarum cursu semper nos respiciamus, sterile illud Bonum inter nostrarum actionum objecta locum non habet; potiusque existeret purae contemplationis, quam activae voluntatis principium, aut objectum.

Si neque Deum ipsum summum atque infinitum, omnisque boni principium, et finem, sub pura illa, et abstracta absoluta boni consideratione amamus; quodnam de aliis bonis potest esse dubium? Ita vero est. Deum scimus infinite bonum, eaque ratione amamus: cum igitur omne bonum sit relativum, principium infinite bonum, est etiam infinite beneficium, ab eaque infinitae beneficentiae comprehensione nulla excluditur creatura: nos etiam illa respicit, a qua toti sumus, quidquid sumus. Alio modo neque esse, neque concipi, neque idcirco amari potest Deus. Adeo vero certa est exposita doctrina, ut celeberrimum illud Galliae lumen Cameracensis Praesul, Dominus *de Fenelon*, homo quidem pietate, doctrina, ingenii amoenitate nulli secundus, qui puri amoris sententiam aliquando docuerat, Deumque, ut purum bonum citra omnem ad creaturas relationem ab innocentibus saepe animabus amari existimaverat, cum primum rescivit, purum illum amorem a communi Christianorum caetu improbari, raro modestiae, atque humilitatis exemplo, mutaverit postea sententiam.

Quandoquidem vero in doctrinae confirmationem exemplum adduximus ex Religione petatum, ex quo quidem fonte argumentari maxime decet moralem Philosophum; juvat etiam rem ulterius ratione confirmare ex eodem fonte petita. Quid in divinis litteris utriusque testamenti frequentius occurrit, quam homines ad virtutem a Deo ipso incitari, et a vitiis retrahi? Ad rem tamen suadendam, et flectendam voluntatem comminantur poenae, merces semper proponitur, in praesenti, aut futura vita obtinenda: claro quidem argumento, sterilis boni amore humanam voluntatem non duci; se se honesta agendo respicere.

Quoniam quaestionem modo versamus naturali ra-

tione probatam quidem, non tamen demonstratam; tria mihi solvenda propono pro adversa Stoicorum opinione facientia. Intrinsicca scilicet virtutis amabilitas, seu Boni ratio in se se spectati, amicitia, virtus quidem animi adeo inter homines decantata, et innatus ille parentum erga filios amor sensum nobis oppositum confirmare videntur. Quid rationi conformius, quam virtutem per se se esse amabilem, animum per se se allicere, et mira suavitate ad sui amorem trahere, esseque et meritum, et sui ipsius praemium atque mercedem? Amicitia etiam aut purum est nomen omni sensu vacuum, aut aliquod tandem objectum prosequimur, quin nos metipsos respiciamus. Quid enim tandem rei est amicitia, sanctum, et venerabile nomen, quid benevolentia; si ille affectus animi benevolentem semper respicit, in illumque naturali necessitate reflectitur? Innatus etiam parentum amor, naturale, et manifestum esse videtur amoris non reflectentis exemplum. Quoties enim a filiis nihil speratur boni, et nil nisi incommoda praevidentur? Paternum vero, et maternum amorem in iis etiam casibus necessarium, et innatum in puro bono non sistere, ad parentes reflectere? Tria haec dubitandi momenta specie quidem gravia, re tamen levissima animadvertes, si rei totius analysim instituas. Praetermissa modo generali virtutis notione fuse inferius prosequenda, sequentia observare satis. Neque virtus sine honestate, neque honestas citra legem aliquam, neque lex sine sanctione, poena scilicet aut praemio. Cum honeste vivimus, virtutisque actus exercemus; nonne et meritum nobis comparamus, nobis metipsis satisfacimus, laudem, et aestimationem apud homines assequimur, et quae laudis, atque existimationis naturales sunt consequentiae? Intrinsiccam virtutis amabilitatem agnoscimus: ipsa tamen virtus, et tota illius amabi-

litas necessariam secum ferunt relationem . Bene agere , virtutem amare , colere , ejus actus exercere , quocumque modo a te spectentur , et quibuscumque viarum ambagibus rem prosequaris , in te ipsum tandem deducuntur .

Amicitia etiam , quam inferius tractandam secundo loco pro Stoicis mihi opposui , est in philosophia morali quadratura circuli Geometrarum , aut Chemicorum lapis philosophicus . Pura amicitia , seu benevolentia , in qua te prorsus non respicias , ex qua nihil boni percipias , est sine objecto vocabulum . Eo nomine donari oportet benevolentiam , quae sordidus sui amor non existat . Nisi ita statuamus et loquamur ; nulla esse potest inter homines amicitia . Tuae erga hominem quemcumque benevolentiae analysim institue : quaenam rationum multiplicitas humanum animum hisce in rebus flectit ? Quanam motivorum diversitate agimus ? Homines sunt , a quibus nihil quaerimus , volumus , speramus , quod utilium bonorum nomine in communi usu nuncupari soleat : interim tamen eorum conversatione , genio , aut temperamento , nostro simili , mirifice delectamur ; eos proinde libenter colimus , cum iis conversamur , agimus , vivimus . En amicitiam , si vulgus hominum audias , puram , et sinceram . Quantum enim vero nobis ipsis vano amicitiae phantasmate illudimus ? In hac etiam pura amicitiae imagine proprio genio potius indulges , quam aliena geras negotia . Suavem otiositatem , potius dicam dulcem nauseantis otiositatis remedium , animi delectationem , hoc est te ipsum quaeris . Fac enim , ut mutata scaena , phaenomeno quidem in humanis rebus usitatissimo , suavia antea in acerba , aspera , atque ingrata convertantur . Quid tum vero de pura tua amicitia ? Charitate forsitan , compassione , honoris , et tuaemet aestimationis sensu forsitan ductus ingratum hominem , fa-

stidiosum, injucundum adhuc colimus, et humanitate prosequimur. Quid tamen rei est, charitate, honoris, et existimationis ratione agere, quam meritum apud Deum quaerere, apud homines vero nomen, et laudem? Id vero non esse te ipsum alieno nomine amare, et dum amici iconem colis, te ipsum tibi statuere in adversae iconis faciem?

Paternusque maternusque amor, qui naturae instinctus quidam esse videtur, aut innata animis propensio, penitus examinatus in haec ultima resolvitur elementa; in amorem rei suae, commiserationem agentis, atque patientis naturae, in amorem virtutis, observantiam Legis, et in officiorum futuro tempore reddendorum praevisionem. Si haec casu aliquo in parentum animis deessent; quaenam tum vero paterni, maternique amoris sterilitas? Filios enim vero parentum esse, commiserationis objectum existere, divinis humanisque legibus ad eorum procreationem, et educationem teneri parentes, haec eorum officia virtutem per se se existere laude, et mercede dignissimam, pariaque tandem officia in senectute a gratis filiis reddenda, ante oculos haberi, res sunt lumine rationis, et naturae magisterio notae. Haec vero esse quin parentes se se respiciant? Saepe fit, ut amor ex iis principiis derivans actuum repetitione, consuetudine, longoque annorum cursu confirmatus, natura esse videatur ab indicatis principiis non derivans. Eapropter parentum in filios propensio puri amoris specie apparet: penitiori tamen rei totius analysi id praejudicium dedocemur, a teneris quidem haustum, et usu semper confirmatum. Haec quidem, impraesentiarum leviter delibata, fusius in loco disputabuntur.



## §. XVIII.

*Honestorum inter se comparatio: sunt ne omnia honesta inter se honestate paria?*

**A** iterum hoc disputationis caput superius indicatum, de bonis aequae atque malis, de agendis, et fugiendis dirimendum est. Est ne inter omnes actiones honestas aequalitas honestatis? Sunt ne omnia honesta, officia omnia honestate, et morali bonitate paria? Hujusmodi actionum paritas alterum erat Stoicorum assertum; linearum rectarum exemplo, et comparatione ab iis Philosophis confirmatum. Cui hominum ignotum est, omnes lineas rectas esse aequaliter rectas: curvas vero magis minusve a rectitudine discedere? Quid vero rei est actionum honestas, nisi moralis earum rectitudo, seu cum naturali ratione conformitas? Ex qua sane moralium cum geometricis comparatione sicut aequalitatem inter honesta, ita et inaequalitatem inter turpia statuebant Stoici. Quod si moralia cum logicis, honestatem, et turpitudinem actuum voluntatis cum veritate, et falsitate actuum intellectus conferamus; non modo inter honesta, verum etiam inter turpia admitteretur aequalitas. Sicut enim omnia vera, ita et falsa pariter sunt falsa. Utrique comparationi, non satis aliunde exactae, dandum est aliquid. Et primo quidem cum veritas logica sit pura conformitas actus cum suo objecto, falsitas vero sit illius purae conformitatis defectus, seu esse, aut non esse objectum, ut propositio affirmat; liquido constat, utrumque esse individuae mensurae; vera esse pariter vera, falsitatem falsitati aequiparari. *Rem esse, ut affirmo*, nullas habet in se partes, aut inaequalitatis rationes. Sed quoddam esse apparet individuum punctum, si ita loqui fas est, additionis, et subtractionis incapax. Lineae rectae notio, per se se etiam est



individua : esse nimirum linearum ab uno ad aliud punctum ductarum brevissimam, hoc est, summa brevitatis inter duo puncta, vel tota lineis convenit, suntque proinde lineae rectae rectitudine pares : vel tota non convenit ; nullaque proinde est aut dici potest recta. Curvitas etiam linearum, pro diversa illius acceptione aut major esse potest, aut in omnibus prorsus aequalis. Curvam definimus lineam a recta recedentem, vel lineam a puncto ad punctum non brevissimam. In primo sensu non omnes sunt pariter curvae, maxime vero in secundo. Habes, quid de Logica, et Geometrica comparatione sit tenendum. Linearum rectitudo, judiciorum cum rebus conformitas, neque ex objectorum, neque ex legibus aliquot pendent : rectitudo in sola maxime brevitatis, veritas in sola individua conformitate consistunt. Alia longe est rerum moralium conditio. Honestas et turpitudine actionum ex rationis dictamine, et rectitudine definiuntur. Sed hujusmodi rectitudo, et dictamen in actionum objecta, in diversas leges, atque obligationes resolvitur, ex iis pendet, atque statuitur. Ut rectum eliciatur iudicium, atque dictamen, actiones cum actionibus, officia cum officiis ex eorum objectis, ex natura praescribentium aut vetantium legum, unde est obligationum diversitas, expendit, et comparat ratio : atque ex diversis hisce capitibus oritur moralis rectitudo, et honestas humanarum actionum propria. Certum enim vero atque constantem tam in rebus, quam in legibus et officiis ordinem esse a natura edocemur ; et sicut utilia utilibus, turpia turpibus, ita honesta honestis multoties esse inaequalia, Quod objecta in se se attingunt, alia aliis turpiora, alia aliis meliora esse, passim demonstrant exempla. Parricidium ne levi furto, patriae prodicionem privatae domus incendio dices esse paria? Aut hominem jam jam fame, et

miseria morientem sublevare, idem prorsus esse dicam, atque pauperi ostiatim mendicanti obolum donare? Officia nostra post Deum, quocum nulla comparatio, primo quidem nos, deinde patriam, parentes, amicos suo ordine respiciunt, ad eaque praestanda obligant. Rationis autem dictamen est, sicut gravia levibus, ita graviora prae levioribus, propinqua remotis, magis necessaria, minus necessariis praefenda: sicut utilia inutilibus, utilibus utiliora priori loco habenda. Ratio etiam agendi omnibus hominibus communis demonstrationis loco esse potest. Ita etiam fert vivendi ratio, atque prudentiae dictamen. Humanum vivere, atque rationale agere, est inter objecta et objecta, actiones et actiones, modum et modum rerum eligere, praefere, postponere, atque inter haec omnia inaequalitatem agnoscere.

Legum diversitas, et ortum inde obligationum discrimen, alterum caput est inaequalitatis inter honesta asserendae. Leges enim vero aliae sunt naturae, divinae, humanaeque aliae: aliae quidem sunt necessitatis, convenientiae, et arbitrariae aliae. Quanta vero, ex earum auctoribus dignitatis, obligationis, necessitatis, aut convenientiae discrimina? In rebus etiam ipsis multiplex distinguitur necessitatis gradus. Deus, nos, patria, parentes, amici, caeterique rerum ordines, et variam nobiscum habent necessitatis relationem, diversumque in se ipsis meritum. His vero respondent nostra officia, atque obligationes: quarum quidem regula est humana ratio: haec tamen diverso principiorum merito conformis, eorumque explicatio, et praesens semper manifestatio inaequalem esse demonstrat in officiis quidem nostris obligationem, in actionibus honestatem, in legibus et rebus ipsis meritum, naturam, et obligationis principium.

Quodnam ergo est, inquis, honestatis actionum principium? Unde actionis honestatem statuit ratio?

Quandoquidem ex diverso, et inaequali principio in aequalem earum honestatem deducimus? Argumenti ratio in quaestionis tertio loco propositae examen per se se nos ducit.

§. XIX.

*Humanarum actionum Honestas atque rectitudo ante omnes conventiones humanas.*

*Hobbesii sententiae.*

Quaestionem in Philosophia morali gravissimam cum modo dicta, tum *data* metaphysica, Ethicae praemissa, ad evidentiam solvunt. Morum doctrinam, atque honestatem penitus examini, et ad prima principia rem totam deducenti, primum in via offendiculum occurrit Materialistarum opinamentum. Eorum causae advocatos statuimus Hobbesium, et Helvetium, prima inter Materialistas subsellia merito occupantes. Summa eorum doctrinae est *in rerum naturis omnia esse indifferentia. Nihil per se malum aut bonum; nullam inter bonum, nullam inter justum et injustum differentiam. Homines neque tibi bonum velle tenentur natura, neque ad officia aliqua. Omnia haec sunt a Legibus, et conventionem (a). Unicuique, inquit, (b) jus fuisse anticipationem uti, alium palam, aut ex insidiis aggredi, occidere &c. Regulas boni, et mali, justum, et injustum, honesti, et inhonesti esse leges civiles: ideoque quod Legislator praeceperit, id pro bono, quod vetuerit, id pro malo habendum esse. Ante imperia justum et injustum non existere: ut quorum natura ad mandatum sit relativa. (c) Ceterum, proseguitur, in ho-*

---

(a) Hobbes Leviathan cap. 13. (b) ibidem, de cive cap. 1. §. 12. (c) ibidem.

minem innocentem mali cujuscumque inflictio, si civis non sit, si sine praecedentis alicujus pacti violatione fiat, si denique eo fine fiat, ut juvetur civitas; legis naturalis transgressio non est. Omnes enim homines aut cives, sunt aut hostes, aut pacto inter civitates amici sunt (a).

Habes Auctoris sententiam ejus verbis expressam: ab unoque Materialista disce omnes. Semel enim posito, quod omnia sint materia, et corpus, materia cogitet, Deusque non sit a corporibus et materia distinctus, qui communis est Materialistarum sensus; sponte inde consequitur exposita modo hominis doctrina, milleque alia opinionum monstra, in Metaphysicam, Jus naturae, aut Gentium, Religionem naturalem, atque revelatam peccantia. Sed ut quod Ethicam spectat, tantummodo prosequamur; prima relatae doctrinae falsitatis demonstratio sit sincera ejusdem expositio. *Dire, qu' il n' y a rien de juste, et de injuste, que ce qu' ordonent, ou defendent les loix positives, c' est dire qu' avant qu' on eut tracé de cercle, tous les raions n' etoient pas egaux*, inquit Montesquieu.

In statu possibilitatis, quo sane res considerari possunt, relationes aequitatis apparent ante leges positivas. Si v. g. sint civiles societates, aequum erit, et justum earum legibus obedire; si ab aliquo beneficium accipiam, jure gratitudinis teneor. Hae ne veritates, et aequitates ab humanis conventionibus pendent? Quem enim hominem evidentibus Metaphysicae, Juris naturae, et Religionis principiis imbutum non offendunt periculosa illa paradoxa, a lumine rationis, sensuque communi penitus aliena? Universale bellum omnium, atque singulorum in omnes, et quae belli consequentiae existunt, en na-

---

(a) De civitate cap. 28.

turalem hominum statum secundum Hobbesium. In eoque quaecumque, rapinae, homicidia, parricidia, suicidium pariter licerent, tamquam res prorsus indifferentes. Vana per eos homines est communis actionum distinctio in malas, quia legibus prohibita, et in prohibitas, quia malae: nihil enim, inquit, malum est, nisi quatenus legibus prohibitum: nihil honestum, aut inhonestum ante leges. Homo solitarius nullis adhuc civitatis, et Societatis legibus obligatus, extra omnem humanam conventionem vivens, esset tamen a creatore Deo, haberet etiam parentes, quorum tantummodo beneficio in lucem editus, educatus, diuque nutritus vixerit. Hujusmodi homines ad nullam erga Deum religionem, amorem cultum, ad nulla erga parentes officia, benevolentiam, gratitudinem teneri? Ab iis omnibus esse liberum, parentes etiam odio habere, prodere, occidere citra peccatum posse? Quatenam intellectualia monstra in humana mente generantur!

Naturalis ratio, innatumque illius lumen non est ante leges, omnesque humanas conventiones? Imo leges ipsae humanarum omnium conventionum vim totam habent a naturali ratione derivantem. Ratio autem naturalis illa est morum regula nobis a Deo data, secundum quam agere natura ipsa impellimur; Id vero est officio satisfacere: a regula declinare sine peccato non possumus. Praeterea omnes actiones animi internae, odia, irae, concupiscentiae, maledictiones, avaritia, ambitio, et plurimae aliae animae passiones, omnes etiam actus occulti, etsi aliunde, si palam fierent, legibus humanis prohiberentur, actiones essent prorsus innocuae. Neque enim ad internos animae actus, neque ad occultas actiones extenduntur humanae leges, unicum per Materialistas honestatis, aut turpitudinis justitiae, et injustitiae principium et regula. Mentiri, pejerare, et

nefanda quaecumque alia animi monstra, furari etiam, insidiari, occidere, parentes, patriam ipsam prodere, dummodo id caute in ipsa etiam societate fiat, res est per Materialistas innocua, et nequaquam ab honestate aliena. Quid quod innumerae etiam sunt humanae actiones et facta externa per se se quidem omnium confessione, naturali ratione dictante, mala, quae tamen humanae leges non comprehendunt? Hujusmodi sunt ebrietates, detractiones, alienam famam proscindere, suicidia, et infinita alia. Haec omnia, quod extra legum provinciam posita sint, innocua pronuntiabis? Pulchram enim vero moralem Materialistarum philosophiam, mores, atque societates si quae esse possent ab iis hominibus formatae. Nulla officia, ait Tullius, nullaque moralis Philosophia in *Epicuri* porticu esse potest: neque hujusmodi Philosophi ad disputationes de hisce argumentis instituendas admitti deberent. Quae enim de morum honestate cum iis hominibus disputatio, qui Deum, Providentiam, aliaque humanarum, divinarumque scientiarum fundamenta, ratione quidem evidentiali, omnibusque hominibus sacrosancta, non agnoscunt?

Philosophiae morali haec imprimis *data* praemissas, rei totius fundamenta, atque ratione naturali alibi demonstrata. 1. Deum esse spiritum aeternum, omnipotentem, creaturarum omnium causam, ab hac proinde universitate rerum distinctam, infinite perfectam, et rationabilem. 2. Esse in supremo illo ente Providentiam; creatum ab illo mundum, secundum certas leges statuuisse, ad praevium finem directas: Leges, inquam, rerum naturis proportionatas, physicas scilicet, rationales, morales, pro triplici rerum classe hunc mundum constituentium. 3. Ab eodem Numine nos homines habere animam spiritualem, post corporis solutionem adhuc superstitem, ratio-

nalem, liberam, suarumque propterea actionum dominam, meriti, et directionis capacem, et indigam. Ut creatura rationalis atque libera ad finem a Deo constitutum, et praevisum perveniret, duo praeter alia opus erant, agendi regulae, regularum cognitio, certae scilicet regulae rationabiles, et constantes ad illum finem perveniendi, quas libere servando meritum; deserendo, demeritum contraheret, beneque aut male ageret: insuper vero earundem regularum cognitio, seu actionum directio. Finem enim assequi sine mediis, rationabiliter atque libere ad eum finem contendere, quin eo perveniendi regulae sint, cognoscantur, tenentur, rationis lumini opponitur. Ratio vero naturalis illud est directionis lumen, media, finem, facienda, vitanda ostendens, atque omnes humanas conventiones et leges antecedens.

Quamplurimos homines ante conventiones et leges humanas nasci, vivere, et mori facile dabis. In praesenti rerum, atque historiae lumine res amplius negari non posset. De iis liceat modo ratione philosophari. Sunt enim vero creaturae rationales, liberae, moralium actionum domini, imputabiles, seu meriti et demeriti capaces, ad certum finem, quidem ratione notum a natura ipsa, hoc est a Deo destinati: illuc igitur contendere, media ad illum ducentia ponere tenentur: ea media, si contemnant, male, si semper ponant, bene et laudabiliter agent. Ante igitur humanas conventiones admittere oportet justum, et injustum, honestum et inhonestum; uno verbo, citra humanas conventiones ad naturalem beatitudinem assequendam naturae auctor homines creavit, mediaque iis donavit, viam ostendit, liberos tamen esse voluit suarum actionum auctores, quae ad illum finem via et media existunt. Ab humanis incertis, et sibi saepe contrariis ho-

minum conventionibus omnisciens, atque omnipotens naturae auctor dependet, ut opera manuum suarum proprium assequantur finem?

Quandoquidem igitur hominum actionibus convenit naturalis honestas, humanas omnes conventiones et leges praecedens; unde tandem est, et quodnam naturalis honestatis principium? Ratio quidem naturalis regula est, et quasi facula qua semper dirigimur, et honestum ab inhonesto discernimus. Aliud tamen esse videtur regula dirigens, et actionum indolem distinguens, aliud vero ipsiusmet honestatis principium, et primitiva origo. Quodcumque statuas, quodnam est huiusmodi principium? Ipsane natura rerum, voluntas Dei, an lex aliqua naturalis ab utraque distincta?

#### §. XX.

*Principium naturale, et primitiva regula honestatis, atque obligationum humanarum; omnes conventiones humanas praecedens.*

In gravissimi momenti argumentum, totius philosophiae moralis fontem attingens, naturali rerum ordine deducimur: cujus penitior solutio plurima comprehendit capita, et nonnisi longa idearum serie, accurataque idearum explicatione tentari potest, atque obtineri. Hic enim vel maxime idearum claritate, naturalique aliarum ex aliis deductione opus est, ut ad totius rei caput deveniamus. Nisi ita fiat scientia per se luminosa, atque geometricae concinnitatis, et demonstrationis capax obscuritate laboraret, atque incertitudine. Naturalem Humanarum actionum honestatem, et turpitudinem demonstravimus: quid rei illae existant, omnesque hominum conventiones praecedere, statutum est, atque definitum. Atque de tribus hisce capitibus convenit in-



ter omnes, si Materialistas excipias, quibuscum in Ethica esse non debet disputatio. Honestas actionum cum illarum rectitudine et morali bonitate convenit: turpitudine autem idem plane est, atque morale malum, rectitudini oppositum. Utraque ex natura sua in homine libero actionum ipsarum auctore obligationem esse demonstrant; obligationem inquam amplectendi prima, vitandi secunda, honesta agendi, turpia fugiendi. Sed obligatio quid rei est? Quonam pacto cum agente libero componitur? Obligatio praeterea in homine passiva, activam consequitur et demonstrat. Si ad aliquid agendum tenemur et obligamur; quisnam obligationis nostrae auctor? Rursus in auctore obligationis aliquod esse debet obligandi jus. Cum jus et jussio ad se mutuo referantur; jussio autem Lex existat; in legem naturalem, in naturam, auctoremque rerum nos tandem deducit naturalis idearum ordo. Tota haec rerum, idearumque complexio, evoluta, definita, ordine exposita nobis tandem aperiet honestatis, et turpitudinis, obligationis, et libertatis fontem, legis et juris naturalis notiones, existentiam, principium.

Libertas fuse a nobis in Metaphysicis disputata est *activa facultas eligendi et agendi animae nostrae indita*. Hoc modo definita libertas philosophica, et physico-moralis nuncupata, in libertatem indifferentiae, et coactionis divisa, et citato loco asserta, atque vindicata, atque idcirco in praesenti tractatu inter *data* merito numerata, praecipuum est moralis philosophiae caput, actionum imputationis, meriti atque demeriti fundamentum. Haec libertas, pro vario hominum statu ad diversas leges relata, alia est *naturalis, politica, et civilis* alia, cumque humanae naturae indita sit, atque proprietas; quocumque in statu et conditione existamus, dum rationis usu polleamus, hac fruimur volendi, eligendique phi-

losophica, atque physico-morali libertate. Homo praeterea vel in naturae statu ante humanas conventiones vivit, aut consideratur, vel in statu societatis. In primo statu ad solas leges naturales refertur, iisque tenetur: in secundo, praeter naturae legem, ad societatis constitutionem, seu leges fundamentales, naturam status constituentes, et ad civiles leges, peculiare civium actiones, et vitam dirigentes tenetur. Pro triplici hac relatione, et legum ordine, triplici illa fruimur libertate modo indicata. Libertas tam naturalis, quam civilis, et politica lege aliqua constringuntur. Activa libertas agendi solis naturae legibus restricta, est libertas naturalis: civilem libertatem restringunt naturales, et civiles leges: politicam vero naturalis, et politica status fundamenta. Homo naturae ad omnia lege naturali non praescripta liber est: civem obligant naturae, tum civiles leges: Societas lege naturali, gentium, et fundamentalibus constitutionibus tenetur. Libertas etiam pro independentia usurpari solet: eo sensu dicitur homo liber, qui servituti non subjacet; natio libera, quae a nulla alia pendet. Hic tamen sensus in priorem recidere potest.

Libertas igitur philosophica, quam solam impraesentiarum intelligimus, caeteris omnibus latius patet: quod omnium hominum sit propria, atque ad actiones legibus quibuscumque permissas, vetitas, praecipuas, transmissas extendatur. Aliae libertatis species neque hominibus omnibus conveniunt, neque actiones nisi legibus permissas comprehendunt: cum omnia legibus prohibita reputentur impossibilia. Libertas naturalis, restrictior philosophica, largioribus vinculis coercetur, quam civilis, et politica. Postremae enim non modo legibus naturae, quas solas respicit naturalis, sed civilibus etiam et politicis restringuntur. Haec de libertatis speciebus impraesentiarum

tas scilicet aut libertas agendi iis legibus permessa .  
 2. Latissime acceptum idem est , atque rectum , rationabile , justum , unde forsitan juris nomen , atque vulgari vocabulo *diritto* , recto respondet . Rationis munus est , quid justum , rectumque probando statuere , statuendo , et probando tamquam regulam juris , et justum dirigere . 3. Jus a jubendo , seu jussione derivans , pro lege usurpatur ; qua veluti ligamur , et morali adstringimur vinculo . Jus ita usurpatum , perinde ut lex , in naturale , et positivum dividitur . Primum purae rationis dictamen existens ea sola innotescit , Legislatoris legem scriptam , aut dictatam antecedens : estque vel naturale hominis , vel naturale gentium : utrumque vero vel est absolutum per se se necessario obligans , vel hypotheticum , ab aliqua inter homines , vel inter gentes conventionem dependens . Homo ad homines tamquam personae physicae , gens ad gentem tamquam personae morales referuntur . Sicut enim homini ad homines , ita et gentibus ad gentes mutua officia dicitur , permittit , statuit aut prohibet ratio : hisceque omnibus modis tot legum species constituit . Sed haec melius ex legis notione intelligentur .

### §. XXI.

*Idem prosequitur argumentum : quid Lex generatim ? quotuplex ejus species , existentia , diversitas ?*

**L**ex generatim accepta , est regula agendi aut existendi rebus praescripta , secundum quam entia ad propositum finem agere , et existere debent . Ita usurpata omnes diversarum legum species , et universa entia creata comprehendit . Omnia enim ad finem aliquem sunt , agunt , vivunt , et constanti modo diriguntur . Quidquid in rebus est ad purum corpus , ad sentientia , aut cogitantia spectat . Omnia

haec regulis eorum naturae, et fini proportionalibus agi, aut agere debent. Primam classem componunt omnia corpora et mundus materialis. Secundam Animantia Bruta; tertiam Homines. Corpora omnia, totum hoc universum corporeum certis constantibusque regulis aguntur, et agunt, quibus tota haec mundana machina stat, regitur, et finem ab illius auctore praevium obtinet. Hae vero sunt illae naturae regulae fuse a nobis in Physica expositae, quas propterea generales corporum leges nuncupavimus: de iisque hoc loco non agimus.

Animalia praeter dictas modo regulas, eorum corpora dirigentes, sensuum potissimum legibus agunt, et vivunt: quarum summa est, praesentem utilitatem et delectationem quaerere. Primae vero et praecipuae hujus summae partes, et naturales animantium leges sunt nutritio, conservatio, speciei propagatio, propria defensio. Homo tandem corpore, sensu, menteque libera donatus, praeter duas illas naturalium legum species, corporum, et sensuum proprias, et ad Ethicam non spectantes, ratione libera bonum, et malum discernente, et futura praevidente agit, et agitur. Sunt igitur corporibus, et animantibus; ita et homini rationali propriae esse debent naturae leges, quae humanae voluntatis et morum regulae existant, atque principia.

In plantis reliquisque corporibus sunt tantum leges materiales; in animantibus materiales, et sensuum; in hominibus materiales, sensuum, rationis. Primae in omnibus semper observantur; secundae ex corpore et anima derivantes, sunt passionum principium; tertiae tandem saepe infringuntur ab humana libertate: homo mechanismo vivit, sensu ut plurimum ducitur, ratione regitur. Praeter alia in hoc etiam discriminantur naturales hominis; animantium, et corporum leges; quod duo postrema

constanter, et necessario secundum proprias leges agunt et aguntur: homo vero, liber suarum actionum dominus, leges saepe transgrediatur, etsi illarum vinculo teneatur.

Omnibus etiam, dixi, legum speciebus convenit data notio. Ex varia rerum, atque principiorum natura et conditione, plurimae sunt species regularum: sunt I. leges physicae naturae, sunt leges physicae diversorum corporum, atque animantium: praecipuae tamen sunt lex naturalis morum, lex divina positiva, legesque tandem humanae in plures etiam classes divisae. Hae vero omnes in suo quaeque genere sunt existendi, agendique regulae. Sed caeteris omnibus impraesentiarum praetermissis, de morali lege naturae, quae sola ad rem nostram facit, paulisper philosophemur. Quid ergo lex Naturae? Est ne Jus naturale, quod natura omnia animalia edocuit, ut statuit Jus Romanum? Si ita est, habent ergo bestiae aliquod jus naturae. Esto habeant: est ne tamen illud, quo homines ad rationalia, et moralia officia tenemur? Jus in *Digestis* definitum non est ad rem nostram. Distinctione res tota dirimetur. Legem naturae distingue in physicam, instinctus et sensuum, et in moralem rationis. Prima animalibus omnibus convenit, atque in indole naturae cujusque animantis consistit. Haec illa est, quam natura omnia animalia docet. Merito igitur dicimus animalia quaecumque naturae indole, sensu, instinctu cibum, potum, sui conservationem, et propagationem quaerere; pisces aquam, et natatum; aves aerem, et volatum; alia ad hunc, alia ad alterum vitae modum naturae genio duci. Legi naturae hoc sensu improprio acceptae agimur etiam homines modo tamen diverso. De secunda tantum impraesentiarum agimus, de lege naturae, quae est regula morum, justis et injustis, bonis et malis. De

hac igitur quaerimus, quid est lex naturae? In quo consistit? Quaenam ejus materia, et praecepta? Quomodo et haec dignoscemus a materia, et praeceptis legis positivae, divinae, aut humanae? Unde dicemus, datam actionem naturali lege, vetitam, jussam, permissam? Ex consensu ne universali omnium nationum? At primo, si quid est omnibus nationibus commune, id quidem ad legem naturalem spectat: plura tamen, quae non sunt communia omnibus nationibus, ad eandem etiam pertinent. 2. Neque enim in omnibus juris naturalis dogmatibus conveniunt nationes; in quamplurimis differunt praecipue barbarae a non barbaris. 3. Neque omnium nationum mores, neque omnes nationes hactenus agnoscimus. 4. Communis etiam nationum usus probatne rem potius esse jussam, quam permissam? 5. Consensus humani generis circa rem praesentem non existit. Quot enim nationes barbarae, quibus omnia haec fere sunt ignota? In nationibus cultis, aut semicultis, quaenam sensuum, opinionumque diversitas? Sunt quibus lex Naturae est universalis benevolentia, et pax; sunt quibus bellum; sunt quibus *utile justis prope mater, et aequi*: quid etiam tot Materialistae et Pyrrhonicis?

Ut de lege rationali, Ethicae propria tantummodo loquamur, Lex est *regula morum hominem moraliter obligans, et determinans*. Cum homo et rationis dictamine, et alterius imperio regi, atque determinari possit; hoc est, alia sit intrinseca et naturalis, alia vero extrinseca, et arbitraria ejus actionum regula; Lex etiam alia est naturalis, alia vero arbitraria, *positiva* vulgo nuncupata. Transmissa vero lege positiva, quae in divinam et humanam dividitur, et ad alias disciplinas spectat, de naturali tantummodo, philosophiae moralis propria, agendum. Quaerenti, quid sit lex morum naturalis,

de qua sola deinceps loquemur, respondeo, esse, omnia hominis officia civiles societates praecedentia. Homines enimvero ante omnes secum conventiones spectemus. Eo in statu a Deo, sibi, cum aliis hominibus sunt, vivunt, agunt: necessariaque officia, et naturalem habent relationem ad tria illa objecta. Sed haec, nominis definitio tria quidem officiorum genera, leges omnes naturales complectentia, indicat: quin tamen statuatur, quid rei sit lex naturalis. Vera illius definitione in quaestionis calcem transmissa, ut fieri semper deberet, dicere interim sufficiat, legem naturalem esse dictamina illa et regulas rationis naturalis ex natura rerum derivatas, secundum quas agere debemus. Secum igitur ferunt obligationem moralem.

Hisce omnibus, ad quaestionis definitionem necessariis, in antecessum expositis, ad rem ipsam deveniamus. Si ante hominum conventiones et in rebus ipsis, seu humanis actionibus honestum et turpe, et malum morale, si malum fugere, bonum agere ex natura ipsa rationabili, et nostrarum actionum fine tenemur, cum malum nos a beatitudine obtinenda avertat, bonum autem ad eum finem nos recta ferat; est etiam ante omnes conventiones naturalis obligatio. Unde ergo est illa obligatio moralis hominis aliunde liberi, a qua obligamur? Unde etiam moralis rerum, actionumque honestas, et turpitude? Suntne illae ex natura rerum bonae et male, an id rei, et nominis habent ab extrinseco aliquo principio? Tria solum ante conventiones occurrunt, de quibus disputari possit, Auctoris revolutas, natura rerum, ratio naturalis.

damus primo, qui existimant, principium et fundamentum obligationis moralis humanarum actionum esse ab ipsa natura rerum, quae per se sunt bonae aut malae ante omnes leges divinas,

aut humanas : atque in intrinseca illa rerum et actionum honestate et convenientia, seu turpitudine per naturalem rationem manifestata, totam consistere legem naturalem ; etsi ab existentia, et voluntate Dei mentem parumper abstrahamus ; aliqua objecta, et actiones rationi convenire, approbari, esse bona, nobisque naturalem obligationem imponere, cum naturalis rationis dictamine duci teneamur. Atque haec imprimis est Divi Thomae, Grotii (a) Clarkii (b), Leibnitii, aliorumque plurium sententia. Contra vero Puffendorf (c), Barbeirac (d), et alii, moralis obligationis fundamentum et principium esse divinam voluntatem necessariam, ab ea nos tantum obligari, ipsamque solam esse naturalem legem. Sunt tandem, qui legem naturalem et moralis obligationis fundamentum in naturalis rationis dictamine statuunt (e) : ita ut mentem etiam abstrahendo a Dei voluntate, ratione naturali obligaremur.

Longi laboris, atque taedii esset, haec omnia pro argumenti dignitate examinare : singula gravibus argumentis probantur, et improbantur. Primae sententiae haec summa est. Odium Dei, atque virtutis, blasphemia, mendacium, contra naturae ordinem, et rationis dictamen agere, caeteraque legis naturalis prohibentis objecta sunt per se se intrinsece mala : opposita vero intrinsece bona. Solumne a Dei voluntate, et lege pendet odii Dei malitia ? esset ne illud bonum, aut indifferens, si a Deo peculiari lege non prohiberetur ? Omnia infinitae summi Entis rectitudini, ordini, Providen-

---

(a) De Jure pacis et belli, praefatione. (b) Preuves relig. nat. t. 2. chap. 3. (c) De jure Natur. et G. lib. 1. chap. 1. (d) N<sup>o</sup> sententia. locum Puffendorffii. (e) Haec est Burlamaque Principe du droit nat. P. 2. chapit.



tiae, ex natura sua et intrinsece conformia, sunt intrinsece bona: iis opposita sunt intrinsece mala. Ita enim vero intelligitur aliqua esse mala, quia prohibita, aliqua vero prohibita, quia mala: actionum malitiam et honestatem leges aliquando praecedere, aliquando vero subsequi. Gravia quidem haec rationum momenta oppositis hisce argumentis fere aequilibrantur. Esset ne aut intelligi posset lex aliqua sine Legislatore? Si natura et naturalis ordo atque convenientia rerum per se est lex naturalis; est ergo Legislator ab illa distinctus; idem enim esse legem atque legislatorem, id sane esset, causam et effectum inter se non distingui. Quandoquidem mentis abstractione argumentari licet, quaero, si quis vel de Deo plane inscius, vel mente ab illo abstracta contra legem naturalem aliquid ageret, quemnam offenderet Legislatorem? Qualisque esset ejusmodi peccati malitia?

Secunda sententia argumentis hisce in primam adductis innixa, aliis pro eadem facientibus premitur. Recte quidem in illa distinguitur lex et legislator, et peccator, et peccati cujuscumque contra legem moralis malitia. Quid tamen ad haec? Si odium Dei, perjurium, homicidium, mendacium non sunt intrinsece mala; potuere igitur a Deo non prohiberi, imo et praecipi. Consequentiam enim vero naturali rationi repugnantem: sed tamen certam. Unde enim in rerum omnium auctore summe libero illa necessitas circa res natura indifferentes? Quod si adducta illa objecta necessario a Deo prohibentur; tum vero ante prohibitionem ipsam erant jam intrinsece mala, atque idcirco prohibentur, quia per se se sunt mala; vel Deus decernendo facit justum (justitia naturali), vel quod justum jam erat necessario decernit. Si primum, velle omnia potest Deus; si secundum, ergo ante Dei voluntatem in-

telligitur esse justum, justitia naturalis. Eodem fere recidit hoc alterum argumentum. Leges naturales sunt naturalis rationis dictamina, necessariae et aeternae, ut dicitur, veritatis: hujusmodi autem veritatis dictamina ex intrinsicis, et necessariis relationibus convenientiae aut oppositionis rerum cum summo Bono physico et morali derivari necesse est. Iterum enim dico, sublata hac necessaria et intrinseca oppositione, aut convenientia rerum cum summo Bono et optimo ordine, leges naturales amplius non essent aeternae, et necessariae veritatis dictamina.

Si a sola Dei voluntate divina decernente est moralis obsectorum malitia, aut bonitas; ergo nulla prohibita a Deo, quia mala: mendacium, odium Dei, blasphemia essent res indifferentes; possentque idcirco a Deo ipso probari, et decerni. Qui igitur Deum non agnoscit, ad nihil lege naturali tenetur: Tyrannusque Atheus nulli in terris obnoxius, quaecumque ageret, innocue ageret. Tandem Deus ex naturae suae perfectione est necessario justus: agit igitur secundum justitiam. Unde autem haec? Non a superiore, neque ab arbitraria ipsius voluntate; alioquin omnia posset decernere, et decernendo esset semper justus; etsi damnaret innocentem. Unde enim haec damnatio esset aut diceretur injusta? Non ex aliquo supra Deum: non ex natura rerum, ut supponitur: non ex voluntate divina; cum haec illam potius decerneret. Porro Barbeirac ad invidiam Puffendorffio declinandam ejus sententiam modificat, ut sensus sit, *proximum fundamentum necessitatis omnibus hominibus indispensabiliter incumbens ea faciendi, quae Deus certe vult ab ipsis fieri, esse illam ipsam Dei voluntatem (a).*

---

(a) Resp. ad §. 15. episto. censoriae Leibnitii.

Pro ratione naturali, ita ratiocinatur Burlamaque: Ratio naturalis, Dei voluntate a mente nostra parumper transmissa, nostrarum actionum regula existit: omnis autem regula per se se obligat. Praeterea ratio ipsa voluntatem ita determinat, ut tollat etiam aliquando libertatem. Quid autem aliud est obligationem hoc vel illo modo agendi imponere, et officia nostra constituere? Quale tamen peccatum esset soli rationi contraire? Ab humana ratione hominem obligari, est, hominem a se ipso obligari: cum humana ratio ab homine ipso non distinguatur. Nemo autem secum ipso contrahit; atque inter obligantem, et obligatum necessaria est distinctio.

His brevissime in Lectoris gratiam relatis, quin ulterius in iis prosequendis immorer, aut illustrium scriptorum sententias rejiciam, sensum meum paucis accipe. Primo: indicatae illae mentis abstractiones, quas nobis fingimus, dum idearum nostrarum analysim prosequentes ad primum naturalis obligationis fundamentum pervenire cogitando contendimus; illae inquam, mentis abstractiones, et modi seorsim concipiendi objecta ad se mutuo essentialiter relativa, meo quidem iudicio neque in praesenti argumento locum habere possunt, neque quaestionem solvere. Qui Deum non esse mente conciperet, aut Materialismum statueret, in quo sane nulla actionum moralitas, officia, et philosophia morum; aut se ipsum idearum contradictione implicaret; cum res per essentiam relativas citra relationem conciperet. Si mentem parumper tollis, hunc interim rerum ordinem concipiendo, palatium in aere pendulum consideras, hoc est, per entium rationis mundum divagaris; in quo possis esse legislator. Alia etiam ex parte auctorem rerum infinite bonum, necessarium, et justum, ne concipere quidem possu-

mus, quin Legis naturalis objecta necessario prohibeat, aut praecipiat. Neque igitur natura rerum concipi potest per se se moraliter bona, aut mala, quin hujusce moralitatis analysim prosequendo in Dei voluntatem deveniamus; neque Dei voluntatem necessario statuentem cogitare licet, quin in objectis ipsis intrinsecam, et necessariam convenientiae aut oppositionis relationem cum summo ipso Bono concipiamus. Utrumque igitur caput, Dei scilicet voluntas necessario imperans, objectaque ipsa summo Bono per se se convenientia, aut opposita, atque idcirco necessario imperata, ultima existunt obligationis naturalis ratio, et fundamentum.

Ex his omnibus Lex naturalis meo iudicio ita definiiri debet; *Lex divina necessaria, a Deo quidem secundum naturam rerum omnibus hominibus imposita, et per naturalem rationem manifestata.* Rem ita definiendo tria statuo ex superioribus sponte consequentia, Legis naturalis auctorem, fundamentum, manifestationem. Deus scilicet Legis auctor; fundamentum vero, naturae rerum per se se summo Bono, atque rectitudini convenientes aut oppositae; ratio tandem naturalis inventrix, et manifestatio. Deus statuit, fundat natura, manifestat ratio. Qua posita rei totius expositione, et definitione, 1. nodosa illa argumenta declino relatos auctores implicantia. 2. Legis naturalis existentiam, certitudinem, necessitatem, sanctionem demonstro. 3. Naturalem Legis honestatem, et moralem malitiam peccati contra Legem peracti definitio. 4. Quoniam tandem pacto, mirabili Numinis beneficio Lex naturalis omnibus hominibus, lumine rationis praeditis, atque cogitantibus intime innotescat.

Quod si mihi opponas, nullam esse legem naturalem; cum nulla sint officia, de quibus generatim conveniant universae nationes: contra ac asserta a

nobis legis naturalis evidentia et rationis in tota humana specie uniformitas exigent. Respondeo; quod aliqui sint inter homines Pyrrhonicus, omnemne Geometriae, plurimumque aliarum humanarum cognitionum veritatem, certitudinem, evidentiam tollit? Sint igitur in Ethica Pyrrhonicus, sint aliqui etiam sylvestres barbarique populi, inter quos de certis aliunde Legis naturalis principiis non conveniat. Quid inde tamen? Pauca ne monstra speciei existentiam tollunt? Aut crassa cujusdam obscuri incultique populi, vegetantis fere tantum, ignorantia, caeteris statuetur Philosophiae moralis magistra? His praeterea vegetantibus populis familiariter expone naturalia hominum officia: hoc unum satis: virtutis, morum, Legis naturalis semina animis humanis fere indita se paulatim explicabunt.

Atque hinc patet. 1. Nominalis definitionis superioris allatae sensus, et veritas; legem scilicet naturalem esse omnia hominis officia humanas societates praecedentia, ratione naturali demonstrata. 2. Rationem proprie non esse legem naturalem, sed illius manifestationem, et consequenter lumen, et regula nostrarum actionum. Mediante hoc lumine leges naturales sunt directio rationalis hominem ad finem assequendum dirigens, et totius moralis vitae regula; secundum quam agere debemus. Id vero in rectum rationis usum, conscientiam scilicet, nos sponte ducit, alterum totius vitae et moralis philosophiae fundamentum.

#### §. XXII.

*Ratio Legis naturalis promulgatio, atque morum regula, ubi de conscientia, et sensu morali.*

**A**ctionum moralitas a libertate, libertas a cognitione, seu ratione pendet. Nihil moraliter bo-

num aut malum, nisi sit liberum: neque liberum, nisi electionis, atque propterea cognitionis opus et consequentia existat. Alia etiam ex parte cum ex noto certoque proloquio, *nihil volitum, quin praecognitum*, lex quaecumque promulgatione opus habeat; promulgatio autem legis ipsius naturae, indoli, fini, et subjectis debeat esse proportionata; lex naturalis homines universim comprehendens, illorumque actionum, et intimorum sensuum regula, eo modo et lingua manifestari, et proponi debet, quae toti speciei communis ab omnibus intelligatur, et vox naturae ipsius merito nuncupetur. Haec vero lingua, naturalis promulgatio, et legis praeco est humana ratio, omnibus hominibus intime semper praesens, atque ab iis clarissime intellecta. Homo enimvero mirabile illud in mundo animans, contradictionum complexio et labyrinthus, humi repens, ad sublimia tamen aspirans, mille passionibus, et infirmitatibus subjectus, sui tamen, suarumque actionum dominus, terrena, atque mortalis vitae illecebras semper sapiens, quaerens, amans, iisque involutus, et fere pressus, ad coelestia tamen, et immortalem vitam natus, quam subinde ab illa etiam fugiendo suspirat: homo inquam, in perenni illo mentis sensuumque conflictu agens, ad beatitudinem, et virtutem natus inter continua tamen illam amittendi pericula, inter tenebras et syrtes procedens, perpetuo quodam actionum duce et lumine opus habebat, a quo de ultimo illius fine, mediis, periculis, et totius vitae officiis moneretur, rectaque ad beatitudinem, et portum contenderet. Paucis plurima: homo ex natura sua directionis capax, et indigens: hic Providentiae ordo.

Naturalis haec hominum directio, lumen, ductor est humana ratio, pars illa nostrimet potissima, qua ab animantibus distinguimur, iisque supereminemus.

Ejus vero munera, atque character intima experientia et conscientia, et sensu nota sunt; verum a falso, bonum et malum distinguere: nos nobis demonstrare: nostra hominum officia, hoc est, legis naturalis existentiam, auctorem, finem cognoscere: nosque tandem, atque actiones nostras secundum legem illam componere, atque ad illam ejusque auctorem referre. Dum haec munera praestat, *ratio* dicitur et est conscientia, prout ad mores refertur. Quam ita propterea definiēs: *relatio rationis inter proprias actiones, et legem: seu judicium comparativum propriae actionis cum lege*. Ex nomine ipso, ex munere atque definitione patet, conscientiam secum ferre, seu potius esse actionis et legis scientiam seu cognitionem. Dixi, prout ad mores refertur, latius enim accepta definitur: *hominis de suaemet animae aut corporis actionibus scientia*, hoc est hominem existere, cogitare, agere consciū esse.

Cum ratio generatim usurpata nobis sit a Deo donata, ut nostrarum actionum omnium, corpus, mentem, voluntatem spectantium esset regula; ipsa etiam ad mores juxta definitionis sensum contracta, nobis esse debet perpetuus et intimus ductor et iudex de faciendis monitor: de factis vero sibi ipsi pronuntiare culpae aut innocentiae sententiam. Illuminando praecire; facienda, vitanda demonstrare: aevum respiciens, futura praemia, aut poenas praevidens, vel perenni gaudio de patrato bono perfundit, vel de commissa culpa molesto semper aculeo torquet.

Unde tamen hoc gaudium? Unde etiam, et quid tortura illa conscientiae, quae, quocumque erramus, cogitemus, faciamus, *post equitem sedet atra cura*, aut *lateri semper inest tamquam lethalis harundo*? Uno verbo, conscientia, ejusque tortura suntne rationis naturalis effectus, an potius educationis praejudicia, affectus factitii humanas conven-

tiones, societates, leges subsecuti? Postremum hoc est Materialistarum sensus, nominatim vero *Helvetii*, qui omnium instar esse potest: cujus sententiae summa est; nullam legem esse naturalem, totum humanum vivere, cogitare, ratiocinari, velle &c., purum esse sensum, et sensus consequentias; totum hominem, ejus virtutes, vitia, meritum, demeritum in quocumque genere, purum esse educationis effectum: nullam in homine conscientiam moralem, nisi post humanas leges; conscientiae vero cruciatum esse purum poenae timorem ab humanis legibus constitutae; iis sublatis expungendum.

Inutile esset hanc Materialistae doctrinam longa oratione prosequi. Materialismi falsitas in Metaphysicis demonstrata, atque datis huic operi praemissis annumerata, impraesentiarum satis, quantum ad reitotius fundamentum attinet. Quaestionem enim, an totum ingeniorum, judicii, prudentiaeque discrimen in hominibus observatum, purus sit solius educationis effectus, an diversa etiam organizatione plurimum pendeat; quam pro prima parte *Helvetius* pro secunda caeteri Philosophi communiter tuentur, ab Ethica quidem non alienam, Physicae tamen, et Metaphysicae magis propriam, modo non agito, inferius, si opus fuerit discussurus. Interim satis sit haec statuere ex datis alibi demonstratis, aut per se notis, sponte derivantia. Esse legem aliquam naturalem moralem ante omnes humanas conventiones. 2. Innatam hominibus esse rationem, spiritualem scilicet cogitandi, et intelligendi vim, qua nos dirigi et duci semper et ubique oporteat in rebus quibuscumque corpus, mentem, animam spectantibus. 3. Hanc vero cogitandi vim ad moralia officia restrictam, dici et esse conscientiam.

Hisce praemissis, proposita quaesita facile expediuntur: conscientiae gaudium ex intimo sensu actio-



nis moraliter bonae, ex merito ab illa in te derivante, atque ex futuri praemii spe totum est. Cruciatu vero non ex solo poenae timore, sed ex ipsomet actionis demerito nascitur, quo tibi ipsi displiceres, et verecundia veluti suffunderis. Quoties enim vero peccati occulti ab omni humanarum legum, hominumque cognitione remoti, conscientia cruciamur nobismetipsis infensi, atque odiosi? At de nulla tum agitur poena: ab omni timore liberi, interno, nescio quem, percellimur stimulo, qui nos non patitur esse tranquillos. Conscientia, ejusque munere assertis, argumenti ratione in celebrem illam deducimur quaestionem, sit necne sola ratio humanarum actionum directio, et regula nobis a Deo data: an praeter rationem aliquem nostrarum actionum ducem et regulam a Deo habeamus, instinctum scilicet, seu sensum quemdam moralem?

Dudum est, quod Angli aliquot Philosophi *Hutchinson*, *Shaftsbury*, et plures alii, a Burlamaque etiam probati, quaestionem de sensu morali excitarunt, eumque moralis quoque instinctus nomine asseruerunt. Quaestio ex iis est, quam pro quacunque parte definias, nihil in Philosophiae moralis certitudinem committitur. Instinctus nomine generatim intelligimus naturales animae sensus ab indole et passionibus et statu praesenti corporis excitatos; illam ad certum objectum illico prosequendum aut fugiendum determinantes, citra causae allicientis, aut retrahentis cognitionem. Haec nominis definitio verum habet objectum, satisque rei ipsius notionem, existentiam, naturam exponit. In rebus corpus spectantibus ita animantia universim, ita nos etiam saepe agere, objecta quaerere, fugere, desiderare, aversari, quin causam antea agnoscamus, commune est experimentum. Quoties sane ab omni Animantium brutorum genere modo has, modo illas quaeri, aut

fugi herbas animadvertimus? Botanicaene aliquando operam dederunt? Fames, sitis, modo hujus, modo alterius cibi, aut potionis appetitus, aut totidem sunt physici instinctus, aut plurimum saltem de illius natura participant. Instinctus igitur physicos inficiari non possumus. Praecipue cum rei existentiam observemus, causa vero et modus secundum leges physicas explicetur. Quid in Physica magis notum, quam attractiones, et repulsionem materiales in omnibus corporibus inanimatis observatae, atque ab eorum atmosphaeris, aut affinitatibus, juxta hodiernum loquendi modum, modernis Chemicis communem, (a)

---

(a) Qualitates occultae, odiosus ille Peripateticae Philosophiae naevus, plura saecula in scholis regnaverant, cum Renatus Descartes ingeniose audax, omnia corporum phaenomena, et mundanam machinam triplici hoc principio *materia, motu, figura* explicare, et creatoris munere sibi quodammodo arrogato, mundum formare aggressus, occultas qualitates e suo illo vorticum mundo, e philosophicis scholis eliminavit. Aliquandiu tenuit vorticum fortuna. Sed cum novum illum mundum, curiositatis excitamentum, examinando peragrasset, amoenissimi ingenii viator *Gabriel Daniel* (1); tum vero apparuit, Cartesianos vortices philosophicum potius esse poema, elegans aequae atque ingeniosum, quam physicum mundum nostris experimentis conformem. Edita deinde sunt *Newtonis* principia. Tum vero, inquit ingeniosa amoenitate *Fontenelle* (2), *qualitates occultae*, a Gallo auctore ab earum regno pulsae, Angli hominis ope, profundiori Geometria in auxilium vocata, toto Algebrae apparatu, et calculis armatae, nominibus *attractionum, repulsionum, virium centripetae et centrifugae* sibi assumptis, in antiquas sedes et jura iterum fuere restituae. Neque satis haec: ulterius adhuc progressa est et confirmata *occultarum qualitatuum* fortuna. A recentioribus Chemicis nova nomina, novos honores, nova regna adeptae, non despectis quidem

---

(1) Voyage au monde de Descartes.

(2) Histoire de l'Acad. Royal Eloge de M. Newton.

aliisque materialibus caussis derivantes? E corporibus alia se mutuo trahunt, quaerunt, miscent, et veluti amant; alia ex adverso repellunt, fugiunt. Si iis corporibus

---

attractionum, et virium centralium vocabulis, novis tamen *affinitatum* et *inaffinitatum* nominibus audire et salutarari amant, veterum *sympathia* et *antipathia*, mutato nomine, in scenam iterum vocatis. Materiales hujusmodi affinitates seriem componunt infinite fere longiorem, quam illa inter homines natura, aut humanis legibus stabilita. Patienter ferat Lector, si argumenti ratione ductus, ludicram scenam referam, quae mihi otianti, et rem ipsam recordanti risum saepe excitat. A montana regione in urbem descenderant rusticus Capellanus, et ejusdem loci barbitonsor. Primus antiquis quidem moribus homo, licet Tullium, Livium, Sallustium perinde ut Tartarus intelligeret, *Breviarium* tamen suum interpretabatur non semper male. Secundus vero inter montanos doctorem agens, non lingua minus, quam novacula mordax, saepeque mordendo verus, res acu attingebat aliquando. Publica tum temporis in urbe celebrabatur philosophantium academia. Adsunt curiositatis gratia duo montani auditores. Acerime utrimque disputatur: animae brutorum Peripateticae in automata Cartesii; vortices in attractiones agunt: inter plenum et vacuum ferox pugna: qualitates occultae, imprimis vero *sympathia* et *antipathia* sub larva attractionum, virium centralium, et Chemicarum *affinitatum*, altius prae ceteris perstrepunt. Calorium, Ciceronis linguam dedignans, una et gaz oxygenum, et gaz azotum in phlogiston et alios insurgunt. Babelica oritur verborum et idearum confusio. Singuli in omnes; omnes in singulos armantur. Quisque disputantium mundana phaenomena bene explicare, experientiam et rationem appellare, victoriam canere. Urbana in convitia degenerant, convitiis iterum retundenda; parumque aberat, quin ab ignorantiae laudibus vicissim datis, et receptis, ad physica aliqua experimenta non deveniretur, capiti et tergo parum salutaria. Re tandem ad finem perducta, quidam e disputantibus doctor, rurales hospites, sibi antea notos, descendendo salutans, plausum captaturus; quid vobis, inquit, de nostra philosophantium disputatione? Me forsitan dicentem commiseratione prosecuti estis. Ad haec

insit sensus, qui quidem est animantium omnium casus; nihil ad instinctum physicum superius definitum desideratur. In corpora animantium externa objecta agunt. Sensus etiam, motusque organa ab internis humoribus et spiritibus vellicantur, excitantur: ab hisce externis internisque actionibus, et passionibus corporis excitatur in anima sensus gratus, aut ingratus, pro agentium causarum modo; in corpore vero motus: ab excitato sensu et motu consequuntur omnia phaenomena instinctui vulgo attributa. Instinctus igitur physici existentiam, causam, et modum agnoscimus; quo sane saepe ducimur et agimus: atque haec etiam est altera in physicis rebus naturalis actionum nostrarum regula, atque directio.

Si haec in physicis; cur paria etiam non erunt in moralibus? Instinctus moralis, si existit, *est naturalis quaedam animi propensio, qua, citra mentis ratiocinium, actiones aliquas, tamquam bonas approbamus, alias vero tamquam malas reprobamus.* Hujusmodi instinctum nuncupare licet sensum moralem, qui aliis verbis in idem recidentibus definitur: *facultas animae aliquando citra ratiocinationem, solo sensu, et naturali quodam gustu, inter bonum et malum morale citissime discernendi.* Sensus igitur

---

barbitonsor, blandientium verborum imperitus; nisi ego fallor, inquit, vos quidem molestius, quam ego philosophicas et sapientes raditis barbas. Hac laude percussus doctor: caecusne de coloribus, inquit? *Tractent fabrilia fabri.* Ad Capellanum deinde seorsim conversus, tui potius est, inquit, de hisce rebus iudicium ferre. Quid ergo tu? Ego vero, reponit, dum vos omnes acriter pro sua quisque disputabat opinione, altius semper et altius obfirmabam animo sententiam illam Ecclesiasticis, cap. VIII. v. 17. *Et intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum, quae fiunt sub sole; et quanto plus laboraverit ad quaerendum, tanto minus inveniat: etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.*

tur moralis et instinctus moralis verbis distinguuntur, idea, et notione conveniunt. Si vero verbis tantum et idea, an re etiam existunt, quocumque tandem noncupentur nomine? In utroque illo actionum ordine, naturali et morali, locum habet ratio: cur non pariter instinctus? In utroque etiam ordine tarda ut plurimum est ratio: si in naturalibus solius rationis consilio ageremus, etiam tum, cum rationis usu jam praediti nostro nomine agimus; quasnam non transmitteremus necessarias vitae actiones, inter tarda, atque diuturna rationis consilia otiosi? Mala enimvero et bona physica dato nobis a Deo instinctu discernimus: deterioris vero conditionis circa moralia, quam in physicis existere, providentis Dei esse non videtur. Saepe fit, ut citra rationis usum quaedam objecta physica, aut actiones morales visas, vel auditas illico probemus, amemus, aversemur, et ab illis trahamur aut retrahamur: in iis non semper intervenit ratio, maxime tamen sensus, qui tamquam fulgur citissime ad agendum determinat; dum ratio, sincerus quidem et verus est consiliarius, frigido tamen splendore suadet, dum sensus ferventius animam rapit.

Etsi his rationum momentis probabilis ostenditur instinctus moralis; rem tamen in medio relinquo, iudicio tuo dirimendam. Quodcumque statuas, stant semper firma illa Ethicae principia, a quibus rem totam hactenus deduximus. Instinctu vel ratione agamus, nostri amore utroque illo modo excitante ducimur. Hoc tamen intercedit discrimen maxime animadvertendum, quod si puro instinctu, et sensu agamus, necessario agimus, a coactione aliunde liberi; cum veram libertatem electionis praecedere debeat rei eligendae aut omittendae cognitio; quae proprie dicitur et est conscientia, atque libertatis, imputationis, meriti, atque demeriti potissima ratio,

et principium. Neque enim nuda ratio ad conscientiam satis: ratio illuminata, multiplici cognitionum genere informata opus est, ut aptus esse possit rationalis, moralisque vitae ductor. Haec igitur modo inquirenda, atque statuenda.

§. XXIII.

*Quaedam rerum scientia et cognitio ad conscientiam opus sint; et hinc multiplex conscientiae divisio, et discrimina.*

**U**t humana ratio dici et esse possit conscientia, plurimis cognitionibus opus habet, ex ipso conscientiae nomine, atque munere indicatis. Conscientia vel ex nomine ipso scientia, ex munere vero humanae vitae ductor esse debet, hominemque manu veluti ducendo, viam antecedens ostendere, facienda, vitanda demonstrare, actionesque ad leges perpetuo referre, et secundum legem exigendas praescribere. Ex hisce conscientiae muneribus, atque nominis significatione plurima consequuntur scitu, et observatu necessaria. 1. Ratio per se sola non est conscientia: nisi plurimarum rerum cognitione sit informata. 2. Imprimis vero Dei, legis, sui ipsius scientia ad conscientiam opus est, ut unusquisque nostrum sui ipsius possit esse ductor. Conscientia est mens humana actiones cum lege comparans, hominemque inter legem et actiones veluti manuducens: nulla autem comparatio mente facta, nisi inter terminos menti ipsi notos. Quod si leges universim ad nos spectantes, quasi actionum exemplaria noscere oportet, ut secundum nota exemplaria conformemur; id imprimis legi naturali convenit, necessario humanae vitae fundamento: quae una secum fert Dei ipsius auctoritatem, totius mundi moralis principium, in quod nostra omnia resolvuntur.

9. Praeter naturalem, aliarum etiam legum ad nos spectantium cognitio ad conscientiae munera opus est. In societate viventes secundum illius leges secundarias, humanarum actionum regulas vivere oportet.

4. Prima muneris nostri pars est, praedictarum rerum cognitionem comparare. Cum *nihil volitum, quin praecognitum*, ut notissimum fert proloquium; omnium vero nostrorum officiorum, et legum vitae rationem praescribentium observantiam velle teneamur; quatenus illa sint ignorare non possumus, quin in officia et legem peccemus, conscientiae ipsius testimonio. Atque idcirco qui proprio lumine carent, officiorum cognitione destituti, doctiores consulere, illorumque lumine et dictamine rationem vitae instituere oportet. Haec ego veluti praetervolando delibo, infinita praetermittens, in quae indicata haec capita deducerent. Neque enim impraesentiarum de Jure naturali aut Gentium, amplissimo enimvero, si quod aliud est, argumento, neque de legibus, aut conscientiae tractatibus sermonem instituo. Morum philosophiam aggressus, ea tantum summis labiis ex affinibus disciplinis attingo, a quibus plane dependet dicendarum rerum intelligentia. Ita fert mutua, et naturalis idearum connexio, quae dictarum modo scientiarum argumenta existunt.

5. Duo hinc etiam summi momenti capita rationi opus sunt, ut conscientiae nomini et muneri respondeat. Luminis scilicet seu cognitionis puritas sincera, et assensus cum objectis proportio. Pura erit ratio, et sincera conscientia, si ab ignorantia, praejudiciis, passionibus sit libera. Haec illa sunt potissima vitia in Arte critica luculenter exposita, quae rationem maxime deturpant, offuscant, et a recto tramite declinare compellunt. Passiones inferius fuse explicandae: circa praejudicia Lectorem ad Lo-

*Multiplex ignorantiae species: Quid ignorantia in conscientiam, et actus voluntarios liberos agere possit.*

*I*gnorantia latissimo sensu accepta est defectus cognitionum in subjecto cognitionis capaci: neque enim lapidi aut arbori tribuitur ignorantia. Ignorantia, quae per infinitos fere gradus, impraesentiarum transmittendos, crassescit, aut clarescit, strictius, atque ad rem moralem spectata est defectus cognitionum, quae haberi possent et deberent. Ignorantem non dicimus hominem, propria officia doctum, impossibilia sibi, aut a munere suo penitus aliena nescientem. Porro cum morum scientia homines universim spectet; propria officia nescire, vera est et proprie dicta ignorantia. Haec ita definita in errorem et puram ignorantiam dividitur. Error, positiva ignorantia etiam nuncupatus, est cognitio falsa; non modo verum nescire, sed oppositum tenere: pura vero ignorantia est purus defectus cognitionis verae.

Alia etiam est ignorantia juris, alia facti. Prima cum legem, secunda, cum factum existere, aut lege comprehendi ignoramus. 3. Utraque aut superabilis, aut insuperabilis existit; aliis nominibus vincibilis, aut invincibilis vulgo nuncupata. Quae diligentia, examine adhibito depellitur, superabilis: secus vero insuperabilis nuncupatur.

4. Ignorantia, cum juris, tum facti actionem antecedit, comitatur, aut consequitur. Antecedentem dicimus ignorantiam, qua existente, agimus, sublata non acturi: estque proinde causa actionis. Qui se ipsum hausto veneno occidit, ex ignorantia antecedenti agit. Ignorare non voluit; quia tamen ignoravit, venenum hausit, non haustus ignorantia



sublata. *Comitans* dicitur ignorantia non voluntaria, qua cum agimus, illa etiam sublata acturi. Qui inimicum, feram aestimatum, nolens, et ignorans occidit, adhuc occisurus ea ignorantia sublata, hac ignorantiae specie ageret. Circa priorem igitur ignorantiam, ex illa, et cum illa agimus: circa posteriorem vero cum illa quidem, sed non ex illa operamur. Quod si ignorantiam, quacum agimus, aliquo modo velimus, ea dicitur *consequens*: modoque cum illa, et ex illa, modo etiam cum illa tantummodo agimus. Ea enim sublata aliquando quidem, non semper tamen ageremus. Quando igitur est veritatis actionis causa, culpae tribuitur; cum sit semper voluntaria et superabilis.

Ex his ignorantiae divisionibus tertiam tantummodo majoris momenti, caeteras complectentem, et mores praecipue respicientem, in philosophia morali attendimus: alias Jurisperitis, et Theologis praetermittentes. Ex praemissis etiam notionibus facile definias, quid in conscientiam, et morum honestatem aut turpitudinem agere possit ignorantia.

Regula prima. *Ignorantia vincibilis cum juris, tum facti ex genere suo, actionem ex illa, aut cum illa factam a peccato non excusat.* Lex scilicet naturae est, officia quemque sua observare: ad observandum vero, ea agnoscere oportere. Cum officia ergo scire possis, et tenearis; si muneri tuo ex ignorantia dees, vitio tuo ignoras, et culpabili ignorantia agis.

Regula 2. *Ignorantia vincibilis, aliquo modo voluntaria, quae proinde affectata nuncupatur, non modo actionem ex illa factam non excusat, sed ejus malitiam augere videtur.* Enim vero ita agendo ignorantiam mala fide volumus, ut conscientiae veluti imponentes ab importuna ejus voce liberi, actionem non satis ignoratam fidentius peraga-

162  
mus. Quod quidem est et actionem prohibitam, et illius ignorantiam velle: duplicato voluntario in legem peccare.

Regula 3. *Ignorantia vincibilis non voluntaria actionis malitiam minuit in ratione bonae fidei, atque difficultatis sciendi.* Agentis diligentia, difficultas ad sciendum superanda, humanae mentis capacitas amplissimam habent latitudinem. Bona etiam fides, oblivio, inconsiderantia in definiendo culpae gradu aut mensura, prae oculis habendae; ut prudens aliquod statui possit dictamen ad hujusce regulae observantiam, et certa ab incertis dirimenda necessarium.

Regula 4. *Ignorantia invincibilis, juris aut facti, a peccato prorsus excusat.* Veritatem ex evidentibus rerum notionibus consequentem proponere, demonstrasse est. Ignorantia invincibilis est ignorantia necessaria: necessario ignorata observatu sunt impossibilia: ubi autem observandi impossibilitas, et nesciendi necessitas; nulla esse potest culpa: quae et scientiam secum fert, atque libertatem actionis.

Plurima et longa expositis regulis addi possent commentaria, quibus doctrina totam humanam vitam et mores complectens et dirigens ulterius illustraretur, exemplisque confirmata ad communem vitae usum deduceretur, ab oppositis dubiis, si quae sunt vindicata. Re facilis laboris, Theologiae moralis scriptoribus remissa, generalia, majorisque momenti capita morali Philosopho digniora prosequamur. In ignorantiam invincibilem nos deducit argumenti ratio. Esse ne tamen potest, quaeres, in morali philosophia hujusmodi ignorantiae locus? An vano ignorantiae phantasmate illudimur? Tota enim naturalis morum doctrina naturalem honestatem prosequens in leges naturae illiusque auctoris notitiam refunditur. Estne vero Dei et legis naturalis ignorantia invincibilis?

## §. XXV.

*Ignorantia Dei, et Legis naturalis: ubi etiam  
de peccato philosophico.*

**Q**uaestio de invincibili ignorantia Legis naturae, atque illius Auctoris passim apud auctores alias doctos, in Physica tamen scientia non admodum valentes, definita, ex penitiori Physica solvi tantummodo potest. Suntne ideae aliquae, aut sensus animae innati? An omnia ope externorum sensuum acquiruntur? Rursus innatis etiam ideis in mente admissis, illaene per se se in anima, quocumque in statu sit, explicantur, mentemque spiritali modo illuminant; an excitari prius opus habent ab externa objectorum actione per sensus in animam agentium? Quantum etiam humanae rationis, ingenii, sagacitatis, prudentiae vis physica in anima, in corpore existente, et in praesenti rerum statu, a corporis ipsius, cerebri vero potissimum temperamento, et statu pendet? Quaenam praeterea in humana mente a sublimiori ingenii perspicacia ad ultimam hebetudinem gradatio, gradationis modus, causa, effectus? Usus rationis et lumen a meridiana claritate ad crepusculum, ad noctem, ad tenebras descendit. Imperfectiores ejus scalae gradus, in hominibus non raro deprehensi, a puro sensu parum videntur distare. Hominum vero ad eos gradus spectantium, sensu et usu fere tantum agentium, quis certo definiet ingenii vim, et perspicaciam? A statu societatis, in quo vivimus, hujus quaestionis auctores a nostramet sensu et conscientia, plurimarum rerum eruditione in formata, argumentantur ad generalem regulam statuendum. Ab hisce nodis solvenda est adducta quaestio, ut certi aliquid definiri possit. Mentem meam sequentibus propositionibus exponant, generalem quaestionem in plurima capita dividendo.

1. Circa aliqua Legis naturalis praecepta a primis ejus principiis non nisi longa ratiocinatione deducenda, inter homines quoscumque est saepe ignorantia invincibilis. Satis est principes Legis naturalis scriptores legere, opinione inter se circa hujusmodi praecepta dissidentes, ut de propositionis veritate conveniamus. Cum enim post improba studia et meditationem opposita teneant; eorum aliqui errore versantur humana diligentia non depellendo. Si haec in primis scientiae luminibus, quid in hebetissimi ingenii hominibus?

2. Circa prima Legis naturalis principia inter homines in civilibus societatibus viventes, atque usu rationis praeditos, nulla est ignorantia invincibilis. Haec enim et similia alia rationis dictamina, *alii non faciendum, quod tibi factum nolis; malum esse fugiendum, odio prosequendum; bonum vero amandum, et quaerendum: Deum a quo sumus, existere, esse colendum, serviendum, amandum:* haec inquam dictamina non modo rationabilia et certa, sed ratio ipsa quodammodo existunt: adeoque ubicumque ratio est, atque explicatur, in ipsomet ejus lumine apparent, illaque secum fert, aut in ea statim se se explicando incidit. Omnes enimvero humanae societates civiles, cultae illae sint, humanisque legibus stabilitae, aut barbarae, incultae, sylvestrisque gentis, solo fere naturae ductu, et accepta a majoribus consuetudine viventes; illae etiam latronum humanitati aliunde infestae, principiis justitiae naturalis, tanquam fundamentis innituntur, iis convulsis penitus solvendae. Haec igitur principia lumine rationis innotescentia, educatione, usu, consuetudine hausta, insinuata, confirmata, ignorari nequeunt in humana societate. Quod si in ea sint hebetis adeo ingenii homines, ut vegetare potius, atque sentire, animantium, atque infantium instar,

quam ratiocinari videantur; ii quidem jure societatis fruuntur, omnis tamen intelligendae, servandaeque legis incapaces.

3. Homines aliquot surdos et mutos in civilibus societatibus viventes, sylvestres ab omni humana societate remotos mediis in sylvis aliquoties repositos, ferarum modo viventes, barbaras etiam aliquot, familias potius, quam nationes, sylvestres, vagantes, sine domo, sine lege, vitam agentes, quales nonnunquam in America inventae sunt; hujusmodi, inquam, homines, ignorantia invincibili non laborare, non ausim affirmare. Indicata superius capita ad quaestionem in oppositam partem solvendum necessaria, in hac me confirmant sententia. Homines in cultis etiam gentibus aliquando offendimus ita hebetes, ut vix unam ab altera idea deducere valeant: quisnam vero in hominibus in propositione indicatis animae et mentis status? At justique et injustique idea et amor, inquit, humanis mentibus sunt innati. I. Rem dubiam affirmas, unde nil nisi dubium deduci potest. Sint tamen, per me licet, ideae illae atque amor innati. Excitatione tamen et sano stabilique cerebri statu opus est, ut innatum illud lumen explicetur. Puerorum, amentium, mentis inopum exempla demonstrationis loco esse possunt. Si a materialibus ad spiritualia argumentari licet, innati etiam existunt in silicibus quidem ignes, in plantarum seminibus, in rosarum calycibus futurae plantae, integraeque rosae: quot tamen opus non sunt, ut innata haec corpora evolvantur, et in lucem producantur?

Notabile extat in regiae Parisiensis Academiae historia (a) exemplum sensum meum confirmans. Juvenis quidam a nativitate surdus, et mutus cum ad

---

(a) Buffon. Histoire naturelle.

24. aetatis annum pervenisset, auditus sensum repentino casu acquisivit. Loqui tandem per se paulatim doctus, cum a Theologis circa Deum, legem naturalem, morum honestatem et turpitudinem, animae naturam et conscientiam fuisset diligenter interrogatus, nihil de iis objectis illum unquam cogitasse apparuit: etsi a parentibus Catholicis educatus, una cum iis sacris in templo, reliquisque Christianis functionibus, interesset, illos omnes externos ritus peragens, quos ab aliis fieri animadvertibat. Nullae enim in illius mente earum idearum respondebant, quas iis rebus, sacrisque ritibus, et caeremoniis intelligimus, significamus, et animo habemus. Alia multa adducere possem ejusdem naturae exempla, assertae propositionis argumenta. Nisi vero illam dicamus ignorantiam invincibilem, quid eo nomine veniet significandum? Quot enim vero sensibus, educationi, exemplo debemus, quae vulgo existimantur naturae ipsius documenta? Absit ut ego hominem totum, hoc est, ejus cogitata, dicta facta, ad puram educationem referam. Ingenii quidem indoles, energia et subtilitas a natura; ejus evolutio educationi, exemplo, sensui maximam partem debetur. Quot enim passim videmus rusticanos homines, omnia pene ignorantes; ea tamen ingenii vi praeditos, cui una defuit educatio, atque fortuna, ut primas tenerent sedes in litteraria republica?

Cum haec in nationibus cultis; quisnam non erit ignorantiae gradus in barbaris illis, sylvestribusque non quidem nationibus, sed familiarum manipulis, qui ferarum potius, quam hominum instar per vastissimas Americae sylvas, montes, planities errantes, nudae, vagae, sine patria, domo, lege vivunt, sola venatione, piscatu, radicibus, aut sylvestribus fructibus miseram vitam agunt?

4. Quod peccatum philosophicum attinet, aliam

propositi argumenti partem, Philosophi moralis propriam; dico: peccatum philosophicum secundum veram illius ideam nullum esse posse, quin insimul sit theologicum, et vera offensio Dei. Rem <sup>facili</sup>, brevique demonstratione conficimus. Peccatum philosophicum esset actio humana libera contra naturalis rationis dictamen facta ab homine legem naturalem agnoscente, Deum vero invincibiliter ignorante. Esset enim actio libera hominis, scientis legem naturalem, Deum vero ignorantis, contra rationem facta. Hanc autem dico impossibilem. 1. Ubi est ignorantia invincibilis, nullum peccatum. Qui Deum, legemque naturalem eo pacto ignorat, cujusmodi sunt, de quibus modo loquebamur; ab omni morum labe sunt immunes. Hypothesis peccati philosophici esset cognitio legis obligantis una cum invincibili ignorantia Dei. Haec tamen duo lex naturalis, et Legis auctor Deus sunt per essentiam mutuo adeo inter se relativa, ut seorsim cognosci non possint, neque ignorari. Lex sine Legislatore esset effectus sine causa, mandatum citra mandantem.

2. Legis naturalis cognitio et notio eas secum fert ideas, in quarum numero Legis auctor Deus necessario comprehenditur. Qui enim lege naturali se se teneri conscius est, se ipsum, rationem, animamque suam, societatem, obligationis naturam, auctorem, principium, finem, creaturarum tandem ordinem aliquo modo cognoscit: haec omnia legis naturalis notioni insunt, aut ab illa evidenter indicantur. 3. Idea Legis naturalis, obligationis, malitiae, sensus longe trascendit, mentisque tantummodo est cogitantis, a sensibus se se cogitando abstrahentis, atque ad rationabilia meditandum se se elevantis. Intimum sensum et conscientiam Lectoris cujuscumque appello. Cum autem ita cogitamus, meditamur, ratiocinamur, hac interim mundana ma-

nestatem non nisi maligna luce videamus, fallaci veritatis, atque honestatis specie delusi. Interim tamen agendum et vivendum; pro parte aliqua deliberandum. Et sicut in physicis atque rationalibus scientiis et artibus, ita et in moribus sententiam saepe ferre oportet, agere, vivere, maligna illa luce contentos, quae una saepe haberi potest. Cum igitur statuere, agere, vivere saepe oporteat, de rerum veritate, atque actionum honestate incertos; ea nobis semper esse debet consiliorum, atque actionum lex, ut post qualemcumque illam rationis nostrae lucem incedamus, cum evidens et clarissimum lumen desideratur. Haec una nobis superest consiliorum, atque actionum regula, et naturalis ductor, secundum quem de rebus statuentes atque agentes si multoties incerti, semper tamen prudentes agimus.

Actionum honestatem, sicut et rerum aliarum veritatem clarius aut obscurius, certe aut incerte attingit, proponit, et demonstrat ratio naturalis. In morum igitur doctrina, atque usu sunt certa, sunt et incerta. Cum autem haec pro diversis rationum momentis, quibus innituntur, aut destituuntur, multiplicem incertorum classem componant, dubia, et probabilia vulgo nuncupata; multiplex inde est conscientiae gradus et divisio Philosopho non ignoranda, et dandis statim regulis praemittenda. Sicut in aliis scientiis et artibus, ita et in philosophia morum humanae cognitiones et iudicia, quae in re morali sunt et dicuntur conscientia, dividuntur in *evidentes*, *probabiles*, *dubias*. Evidentes aut re aut specie solummodo tales sunt: priores scientia et certitudo, posteriores vero error existunt. Huiusmodi iudicia nullum in mente relinquunt dubium, et plenam secum ferunt animi adhaesionem. Probabilia omnia incertum in mente producant assensum; fir-



miorem tamen aut infirmiore pro rationum merito quibus fundantur: aliae idcirco sunt graviter, aliae vero leviter tantum probabiles: aliae aequali, aliae inaequali fundamento innixae. Dubia tandem sunt, quae vel nulla vel paribus atque oppositis probantur rationibus, ut mentem aequè trahant, atque retrahant. Prima *negative dubia* vulgo nuncupata, mentem flectere non possunt: de secundis disputandum superest.

In humanis actionibus duo haec potissimum spectari debent principia inter se opposita, libertas et lex; secundum quae earum honestas definienda: Lex quidem actionem, ejusque modum praescribendo libertatem restringit: libertas vero definiendi Legi semper opponitur. Cum aliquid agendum mihi consulo; aut liberum mihi est, quocumque velim modo agere, et omittere, aut res ejusque modus lege praescribitur. In una igitur, eademque actione duo illa insimul esse non possunt. Saepe tamen utriusque existentiam probare apparent argumenta probabilia, aequalia, aut inaequalia. Eo vero casu actio et sententia secundum legem dicitur *tutior*, secundum libertatem *minus tuta*; licet interdum tutiori sit probabilior. Hisce praemissis, generales conscientiae regulas, seu naturalis rationis dictamina brevissime exponenda morali Philosopho necessaria et sufficientia. Neque enim conscientiae tractatum, aut moralem Theologiam scribo, mille casus, et actionum circumstantias distinguentem.

I. *Ubi de officii existentia certo constat; secundum illud agere oportet.* Conscientia reapse certa seu demonstrativa, constans est agendi regula. Ubi igitur nullam legem esse constat, secundum naturalem libertatem agendum. Regulam proposuisse, demonstrasse est.

Regula secunda. *Certitudo etiam apparens, seu*

*erronea, altera est agendi regula; secundum quam agere debemus quamdiu error in mente perseverat. Id tamen de errore involuntario, atque invincibili tantummodo intelligitur. Quamdiu enim huiusmodi conscientiae errore versamur; perinde agere tenemur, atque vera certitudine teneremur: invincibilis enim error et a culpa actionem excusat, et ad illam ponendum obligat; cum secundum praesens rationis dictamen agere oporteat. Praesens regula peculiare humanae vitae casus et facta complectitur, atque a culpa excusat; cum errore facti saepe laboremus omnes universim homines. Circa generalia tamen Legis naturalis praecepta in hominibus ratione praeditis, non plane rudibus, vix esse crediderim invincibili errori locum. Quod si error sit vincibilis a culpa non excusat, neque proinde est rectae conscientiae regula. Eo in casu tam agendo, quam non agendo peccas. Agendo quidem; propterea quod errore vincibili agis: non agendo autem, quia tum contra praesens conscientiae dictamen ab actione abstines. Utrique extremo remedium esse debet erroris depositio, et veri officii cognitio. Plurima ex hac regula consequuntur ad vitae usum spectantia, a moralis Theologiae scriptoribus fuse disputata.*

*A conscientia vero re, aut specie, certa et demonstrativa ad incertam, dubiam, scrupulosam, aut decisivam, probabilem descendendo, dico: 3. Conscientia scrupulosa, secundum ejus notionem superius datam, manesque rationes, vana scrupulosorum fundamenta, est penitus despicienda, huiusmodique hominibus prudentis doctique consilii sententiis standum est. Scrupulosi scilicet, alias saepe prudentes, circa propriae conscientiae dictamen, et vitae moralis usum imbecilibus comparandi, dum ratiunculas undequaque perquirendo, et volutando sibi ipsis tortores sunt, levissimis rebus pondus, inu-*

tilibus momenta tribuunt. Vitiata, aut debili eorum mente et phantasia microscopii vicem agentibus, minora quaeque iis grandescunt, majora vero male saepe repraesentantur. Quid igitur superest, nisi ut imbecillium more, verum objectorum statum non aestimantium, aliorum ductu, et iudicio dirigantur?

Regula 4. *Conscientia perplexa actionum humanarum regula esse nequit.* Priusquam agas, partem unam alteri praefereendi ratio quaeratur, et probeatur; conscientiaque perplexa in definitam convertenda. Regulae veritas lumine rationis innotescit. Qui aliter ageret; non rationabili modo, sed mechanico ageret: cum nulla ratio ejus indifferentiam ad agendum tolleret, et ad partem unam prae altera flecteret: qui unus est agendi modus causae rationabili proprius. Partem unam alteri praeferre, et prae altera eligere, dum inter utramque perplexus existis, id tandem esset, sine ratione sufficienti agere, et praeferre: remque eligere, cujus electionis nulla a te afferri posset ratio. Id vero non esse mechanicum agendi modum?

Post conscientiam perplexam sponte occurrunt examinanda iudicia, quae conscientiae dubiae, et probabilis nomine significantur, atque in diversos distinguuntur gradus. Conscientia dubia generatim spectata, vel est negative vel positive dubia: quarum notiones superius exposuimus. Positive dubia, opiniones scilicet rationabilibus argumentis innixae, atque propterea probabiles nuncupatae, vel sunt aequalis, vel inaequalis probabilitatis. Rursus, dubium vel inter libertatem et legem versatur, vel inter duas leges sibi in speciem oppositas: quisnam proinde sit verus earum sensus, quaenam in cato casu praeferenda dubitatur. Si quandoque accedat, ut vel homini graviter aegrotanti, omnique ope indigenti praestanda sint opera charitatis, vel sacro in die festo

assistendum: eorumque alterum necessario sit omit-  
tendum, charitatis praecepto cedit lex ecclesiastica.

Circa conscientiam negative dubiam nullis ratio-  
nibus hinc inde fundatam immorari superfluit. Ne-  
que enim conscientia, sed ignorantia est et dici de-  
bet ille mentis status: caecus enimvero rationabilis  
agentis ductor. Ea igitur conscientia, si ita dicere  
fas est, agendi regula esse non potest. Neque enim  
humanum, aut rationabile dices, sine ratione, sine  
mentis dictamine, sine causae cognitione agere, via  
incerta et ignorata progredi, in periculum certum,  
et veluti sorti se se committere. Prius igitur discus-  
sa ignorantia, agenda rei scientiam comparari oportet,  
ut conscientia habeatur, idoneus nostrarum actio-  
num ductor. Datas hucusque regulas nullus in du-  
bium vocat. Quas modo tradam circa conscientiam  
probabilem, luculentissimum hactenus extitere, exi-  
stuntque etiamnum acerrimae atque vivacissimae  
disputationis argumentum inter Theologiae moralis  
Scriptores, aut studiosos: qua, ut fieri saepe so-  
let in controversiis ad religionem et mores utcum-  
que spectantibus, mirum est, quibus partium studiis,  
atque animorum contentionibus pro vano phantasma-  
te utrimque forsitan decertatur. Sed de hoc iterum  
pauca. Interim moneo, sequentes regulas ita a me  
proponi, et mihi probari, ut tot homines, scientia,  
et probitate conspicuos, opposita omnia tenentes  
non condemnem. Quis enim est in criticae arte vel  
levissime initiatus, quem lateat, in probabilitatum  
provincia partem illam saepe fallere, quae apparet  
verisimilior?

Ad opiniones positive dubias, et utrimque pro-  
babiles, cujusmodi sunt magna humanarum senten-  
tiarum pars, tandem deveniens, dico, 5. *Conscien-  
tia probabilitatum aequalium inter legem et legem  
regula agendi definita esse non potest. Est dicere,*

si de actione agatur, quam lex una praecipere, altera vetare rationibus aequalibus videtur; secundum neutram partem agendum. Regula hominem supponit ad utramque partem omittendam liberum. Si earum altera necessario est ponenda; libertatem tollimus: eoque in casu utramvis potest amplecti; non jam rationabili libertate, sed necessitate agens. Dictamen ita expositum praeter modo dicta de conscientia negative dubia, illud ulterius confirmat, quod de re agatur, quae in rationum aequilibrio posita, utrimque possit omitti. Quid igitur rationi naturali congruentius, quam non sententiam proferre non necessariam, priusquam rationem sufficientem praeferendi res ipsa non suppeditet? Neque enim partem unam seorsim agendi, sed praeferendi ratio quaeritur.

Scimus vero, quintam hanc regulam de conscientia positive dubia, utrimque probabili, et gravibus rationibus hinc inde innixa intellectam, a non paucis Theologiae moralis scriptoribus negari: eorumque sententiam esse; eo in casu pro qualibet parte agi posse: propterea quod quaelibet pars teneatur, gravibus innitatur rationibus, ad prudenter agendum sufficientibus: rationem vero sufficientem praeferendi esse ipsam libertatem.

Dico 6. *Si probabilitates aequales versantur inter legem et libertatem; secundum legem agendum est.* Prudentis enim hominis, sibi bene consulentis est, in rebus utrimque dubiis, paribus utrimque rationibus, et errandi periculis, illam tenere viam, quae aliam probabilitate aequat, securitate vincit. Haec agendi securitas novum est pondus lanci superadditum, aequilibriumque antecedens aliquo modo tollens. Sed haec de duarum regularum usu, vix forsitan rarissime occurrenti, dixisse satis. Quis enim vero, momentorum aequilibrium in hominis mente

definiet? Solemnis illa est humanorum animorum conditio, ut gravibus rationibus hinc inde trahentibus, ex propria animi indole in partem unam prae altera inclinans, scrupulum illi addat, nullumque supersit aequilibrium.

Dico 7. *Si probabilitates sint inaequales, illa pars tenenda, quae probabilior.* Quandoquidem enim verum quaerere, et amplecti innata est humanae mentis indoles; undecumque etiam major apparet veri species et similitudo, illuc etiam magis per se se mentem trahi, inclinare, ea magis probare opus est. Mirum proculdubio esset, si mens nostra, quae ad veritatem probandam sponte ducitur, et necessitate flectitur, ab illa parte magis traheretur, illamque magis probaret, quam ipsa minus probat, minusque ab eadem trahitur. Quod si inter legem et libertatem versamur, majorque rationum probabilitas libertatem confirmat, minor vero legem; possumus nihilominus, saepeque etiam consilii prudentis res est, si transmissa libertatis parte, secundum legem agamus. Satis enim major libertatis verisimilitudo gravi alterius partis probabilitate, et securitate compensatur. Id vero potissimum habet locum, cum de rebus magni momenti agitur, in quibus non admodum interest, si libertatis usui parumper renuntiemus. Antiquum debitum a te repetit creditor, rationibus iudicio etiam tuo probabilibus innixus. Aliis rationum momentis tuo forsitan praeiudicio probabilioribus, liberum te et solutum a vetere debito existimas, aut precibus, et muneribus a Iudice pronuntiari curas. En casum, in quo probabilitati, sententia tua, minori aliquid dandum esse consulerem.

Plurimae rationes ad oppositam sententiam probandum a moralis Theologiae scriptoribus, illius sententiae fautoribus adducuntur; quas omnes omitto, quod moralis Theologiae propriae, locum pene non

habeant in morum philosophia. Hanc unam ex ipsamet probabilitatis notione petitam mihi proponam. Sincerae gravisque probabilitatis, de qua tantum agimus, indoles est, ut gravibus rationum momentis ad prudenter agendum sufficientibus innitatur. Neque vero grave illud momentum ob adversae partis rationes fit leve. Quoties enim accidit, ut sententiae probabiliores, ita prudenter existimatae, inveniuntur tandem falsae? Haec enim est omnium probabilitatum natura. Gravibus igitur sententiae nostrae, licet aliquantulum minus probabilis, rationibus ducti, probabiliorum opinionum fallaciae conscii, quare imprudenter, et contra rationem agere existimabimur, si priorem sententiam posteriori praeferamus? In optimismum enim a nobis in Metaphysicis improbatum labi videmur, nobisque ipsis esse contrarii. Si inter aequalia bona humana libertas est ratio sufficiens unum prae alio prudenter eligendi; cur id negabimus de probabilitatibus aequalibus: cur etiam de minori sed gravi, liberi cum simus, et alterius partis fallaciae conscii?

Respondeo, humanam mentem, facultatem quidem necessario agentem, pro praesenti rationum merito sententiam necessario ferre aut amplecti: non parum etiam de probabilis sententiae rationum pondere detrahi, dum interim cum probabiliori opposita comparatur. Optimismi hypothesis probatio, aut reprobatio ad rem praesentem non facit. In metaphysica illa quaestione de libertate voluntatis, modo agendi causae liberae tantum disputatur: ratioque sufficiens inter bona aequalia aut inaequalia eligendi quaeritur, ad quae liberi plane existimus. Impraesentiarum vero de mente agitur, potentia proculdubio necessaria; de mentis directione, seu conscientiae et legis naturalis regula, quae verum quaerere, et probare praescribit.

Quis tamen est, quaeres, majoris, minorisve probabilitatis iudex? Quisnam universis hominibus in moralis vitae, actionumque usu ad probabilioris conscientiae dictamen sibi ipsis formandum doctor est, atque criterium? Haec quaestio eo nos deducit, unde pateat, quod ultimo loco demonstrandum proposuimus, minoris momenti esse, quam vulgo creditur, probabilismi, ut dicitur, theoriam et vulgarem usum. Regulas enim vero moralis vitae proposui, quae et a ratione naturali dictatae, atque praescriptae, ad morum honestatem servandam, et vitam innocentem transigendam ducant. Ita quidem est; dum in rerum theoria versantes, puram rationem contemplamur, atque moralem idearum mundum. Cum a puro illo et sublimi veritatum mundo ad inferiora, ad nosmetipsos, ad humanum vivere, ad mentem animumque nostrum, descendimus et contrahimur; mirum est, quantum a scopo aberramus, rectaque inflectimus, severioris doctrinae, sinceriusque, bonaque fide patroni. Humanae naturae vitio fit, ut dum datam theoriam tenere, rigidioresque morum regulas probare existimamus, latiores saepe vias, laxioresque sententias amplectamur, severae interim doctrinae sinceri forsitan cultores merito existimati.

Res enim eo deducitur; quisnam mihi est majoris probabilitatis in mea sententia iudex? Cuinam dubium est, majorem moralium quaestionum partem, cum ad philosophiam, tum ad Theologiam moralem spectantium, dubiam esse; probabilia utrimque produci, atque in contrario sensu ab auctoribus decidi? gravibus rationibus utrimque certatur: major etiam utrimque praetenditur probabilitas. Utrique propterea se se dictitant, atque existimant severioris doctrinae et morum assertores. Quisnam igitur lite tandem composita veram merenti adjudicabit senten-





tiam? Aliquodne est humanum tribunal infallibile, ut dicitur, hisce probabilibus definiendis destinatum, academiaene, aut communis hominum sensus? An potius quisque sibi de tenenda sententia consulit? Ad postremam hanc rationem res fere reducitur inter homines de quaestione sibi proposita utcumque doctos. Agendae rei, aut tenendae sententiae momenta proprio ut plurimum sensu librantur, examinantur, definiuntur. Vulgus vero eosdem homines audit, et suspicit sententiae consiliarios. En igitur totius rei summam; homines de judicandis et agendis re, aut propria existimatione docti sibi ipsis, et caeterorum hominum vulgo sunt doctores, consiliarii, iudices. Probata ab iis sententia, quod fas, nefasve, probabilius aut improbabilius existimant, proprium fit et commune conscientiae dictamen. Jam vero quid in privatas hominum sententias non possunt, agunt, et influunt praejudicia, passiones, corporis animique indoles, propriae rationes, temperamentum, et partium studia? Quid igitur mirum, si passim fiat, ut dum rigidioris moralis fautores, a nobis ipsis et aliis existimamur, laxiores teneamus sententias? Quotidie et passim de rebus moralibus dissentimus: aliam alii probant sententiam. Ab utraque tamen parte major praetenditur verisimilitudo. *Laxiorem tenes sententiam, minusque probabilem*; utrique parti seorsim objice: contraria omnia reponent. Rationibus rite perpensis verisimilior mihi est, quam teneo, sententia. At contraria tibi est communis hominum opinio. Alii tamen homines, respondet, auctoritas, ratio sensui meo favent. Suntne contrarii sensus assertores, criterium veritatis? Mihi metipsi, officio, conscientiae deesse existimarer, si aliter agerem, atque sentio.

Hunc rationum conflictum et scenam millies passim in medium productam, et indicatam a me po-



tius, quam penitus explicatam ulterius non prosequor. Pauca tamen haec satis ostendunt, quaestionem de probabiliore sententia, in usu semper tenenda, tanti non esse, ut infinitae illae non modo literariae, sed civiles etiam atque politicae turbae et dissensiones ejus causa, seu potius praetextu, nostris hisce temporibus merito excitarentur. Ita sane intra me sentiebam, tacitus inter tot clamores atque tumultus totius scenae spectator. In eaque illud observabam phaenomenon in scenis communissimum, ut qui inter scenas altius pestrepebant actores, morumque honestatem, severam moralem, et sententias venditabant, aliam inter scenas, aliam privatim personam agere; illasque ab iis irrideri sententias, tantopere ab iisdem praedicatas.

Quicumque aliis sit cogitandi, loquendi, agendi modus, parum forsitan inter se consonis, sensum meum paucis exposuisse contentus, quantum operis mei ratio patitur, apposita tot hominum dictamina neque probo, neque rejicio: remque totam Lectori relinquo examinandam, atque judicandam. Si quis tamen indoctus aut doctus opinionum suarum dubius, ad animi tranquillitatem sibi quaerendam, meam audire vellet et sequi sententiam; hanc ego illi regulam traderem: *Quod homines pii, prudentes, docti probant, amplectuntur, tenent, id tibi esto cogitandi, vivendique regula.* Nulla harum virtutum seorsim ab aliis esse potest prudens ductor: neque pietas sine doctrina, neque doctrina sine prudentia probabile constituunt iudicium. Homines enim saepe videas, pios quidem, sed indoctos, doctos, sed temerarios: opus igitur est, ut pietas cum doctrina, doctrina cum prudentia, iudicium et agendi regulam componant.

Actiones humanae hucusque explicatae ab agente scilicet libero, officii conscio, ignorantiae experte,

et conscientiae regulis consonae aut contrariae, duo haec secum ferunt, tamquam proprietates praecipuas, potissima philosophiae moralis capita, meritum scilicet, et imputationem, penitus modo exponenda.

§. XXVII.

*Humanarum actionum imputatio.*

**E**x ratione causae liberae, suarum actionum arbitrae, legi tamen alicui subjectae, consequitur actionum, atque effectuum imputatio, propria humanorum actuum affectio in philosophia morum non praetermittenda. *Imputatio autem est humanae actionis, ejusque effectuum, libero illius auctori secundum aut contra officium agentis, aut omittenti attributio.* Ab uberiori definitionis per se se alias clarae expositione, sponte deducemus omnes imputationis regulas, ratione et usu confirmatas. Primo quidem attribui actionem, est illam, ejusque consequentias et effectus praevisos in auctorem refundi, eique, tamquam causae laudi, aut vitio verti: propterea quod actionis et verus sit auctor, et in rem ita egerit, ut ejus actione posita sequatur effectus, actione sublata, non sequuturus. Is vero est et dicitur auctor actionis, qui est illius existentiae ratio, seu causa in totum vel in partem. Utroque enim modo existunt et agunt causae, cum nulla sine libertate possit esse actio humana, auctori suo in laudem, aut culpam vertenda; cum praeterea nulla possit esse culpa, ubi nullum officium; nullum enim sine lege peccatum; obvius per se se est libertatis, et officii in definitione sensus, atque necessitas.

Imputationis igitur actionis humanae subjectum aliquo modo debet esse ejusdem actionis auctor, et causa, in illamque reapse agere. Duplex autem ra-

tio, et modus; physicus et moralis: duplicique propterea modo humanae actionis auctor et causa esse potes, de illaque imputari. Utrovis modo res fiat, cum de actione, in meritum aut demeritum vertenda tantummodo agatur; consequens inde est, imputabilem actionem debere esse liberam, atque idcirco ab auctore poni suarum actionum domino, earumque conscio.

Attributionis igitur fundamentum est libertas causae, seu dominium liberum actionis effectum imputatum praestantis. Illi generatim imputari debet actio, cujus fuit illam per se vel per alium ponere, vel non ponere. Imputari enim est, rem auctori suo tribuere, cujus nomine, et libera actione peragitur: quid enim ad me propriae aliorum actiones? Influxus igitur, auctoritas, dominium, libertas ad imputationem sunt prorsus necessaria. Si haec ab actione quacumque tollas; si me nolente, invito, ignorante, fatali necessitate, solaque alterius actione res fiat, quid tum vero de illa respondeam, aut mihi tribuatur? Causa potest esse physica, vel moralis, perfecta, vel imperfecta, principalis, aut secundaria, per se se aut per aliam causam agere. Ex uberiori hac definitionis per se se non obscurae explicatione, facile consequuntur omnes imputationis regulae, ratione et usu confirmatae.

I. Actio quaecumque causae necessario agentis per se se, non imputatur. Agitur enim de humanis actionibus meriti atque demeriti moralis capacibus, atque propterea in laudem, aut culpam referendis. Haec autem nonnisi causae liberae propria esse, notissima est veritas in Metaphysicis demonstrata. Unde etiam consequitur in corporearum rerum complexione unum esse hominem, cui imputari possint actiones: caetera omnia, necessitate agere, ab omni imputatione immunia. Dixi tamen

per se se, ut ita indicarem, in antecedenti atque remota actionis necessariae causa libera, et possibili praevisione, locum esse imputationi. Qui in eum animi corporisque statum libere devenit, quo citra libertatem effectum alias malum a se patrandum praevidere potest, erit proculdubio, ob praevisam antecedentem causam, de commissa actione, et effectu consecuto reus.

II. Actiones igitur hominis amentis, furiosi, mente-capti, infantium ante rationis usum praecedentes, sicut culpa, et laudis, ita et omnis imputationis sunt prorsus incapaces. Quid enim mali, aut boni imputandum caussis instar machinarum agentibus?

Idem etiam intelligas de hominibus ad agendum coactis, atque puri passivi instrumenti vices, et munus gerentibus: secus dicendum, si libertas adhuc supersit, et activa liberaque aliorum instrumenta existant. Ea propter filium familias, servum, ducem, praetorem a superiori sub poena etiam capitis rem per se se malam, aut divina lege vetitam patrare jussos, v. gr. innocentem hominem occidere, perperam a sceleris imputatione excusabis. Libere adhuc agunt: metus, reverentia, mandata humana, propriae rationes neque libertatem tollunt, neque aliquid possunt contra divinam, naturalemque legem patrandae actioni contrarias. Mirumque est, oppositum sensum probasse Puffendorff, a Barbeirac, perpetuo illius admiratore, et illustratore rejectum (a).

III. Imputabiles etiam non sunt, quae ab ebrio patrantur. In eo tamen maxime locum habet restrictio primae regulae adjuncta, circa effectum necessarium et praevisum causae liberae. Aliud dicendum, si inscius, aut nolens, aut quomodocumque innoxius in eum statum deveneris, tractus potius,

---

(a) Puffendorf. Jus nat. et Gent. lib. 1. cap. 5.

quam trahens, aut propria voluntate ductus.

IV. Quae ex ignorantia invincibili peraguntur imputari etiam non possunt. Cum humanas actiones oporteat esse liberas, ejusmodi vero non sint, nisi voluntariae; neque voluntariae, nisi cognitae; postrema hac conditione desiderata, desideratur vero in omni casu ignorantiae invincibilis; voluntaria amplius, libera, humana, imputabilis non est ejusmodi actio. Officio enim vero tenemur nobis noto: ignoto autem, neque possumus, neque tenemur. Definire vero atque statuere, quando ex vincibili, quando ex invincibili ignorantia agamus, res est difficilioris indaginis, saepeque ab interioribus animi mentisque latebris pendet. Generatim juxta superius dicta sub ignorantia invincibili cadunt, aut cadere possunt res facti, earumque circumstantiae. Quoad leges attinet, neque humanas sufficienter promulgatas, neque naturales lumine rationis cuiuscumque hominum notas, longaue idearum catenatione, atque ratiocinatione opus non habentes, nullus est invincibili ignorantiae locus.

V. Imputatio actionis secum etiam fert imputationem effectuum ab ipsa consequentium: dummodo inter actionem et effectus intercedat vera connexio, agens vero connexionem cognoscat, et officio teneatur. Effectus enim vero ex humano actu per se se consequentes, ipsiusmet actus pars, et unum morale cum illo constituentes, res proculdubio in genere morum imputabiles, cui, nisi actionis auctori referendi essent? Ad actionem enim spectant, ab illa per se se fluunt, fluere autem praevium esse debuit. Adjunctae exceptionis ratio per se se est obvia. Neque enim sine connexione est effectus, neque sine cognitione atque officio, culpa aut imputatio proprie nuncupata in genere morum. Casu saepe actionem a te positam comitantur potius, quam consequantur

effectus ab illo principio deducti, atque etiam actione non posita consequendi. Hos autem tibi referri, esset nomini tuo imputare rem penitus alienam. Cognosci praeterea oportere connexionem, id confirmat, quod de re prorsus non teneamur, nisi rem ipsam culpa nostra ignoremus. Cum tandem citra officium, morale meritum atque demeritum non intelligatur, nullum enim sine lege peccatum; satis inde patet, officium aliquod opus esse ad veram effectuum imputationem.

VI. Non modo propriae actiones per nos patratae, sed illae etiam aliarum rerum, quarum cura, directio, regimen, moderatio nobis commissa est, contra, aut secundum officium peractae, nobis merito imputantur: de iisque propterea respondere debemus. Et hinc animalium, servorum, puerorum damna aliis illata, dominis, patronis, parentibus, imputantur. Horum enim partes sunt atque officium illa coercere, regere, moderari. Siqua igitur inferunt damna in nos tandem illa omnia refunduntur, quod eorum causae morales jure existentes officio defuimus. Cujus enim culpa et vitio illata sunt damna, aliorumque jura *evertuntur*, illi proculdubio rem totam referre, pura ratio dictat. Quatenam vero in animalibus, et pueris machinarum instar, et necessitate agentibus, omnis officii expertibus, potest esse culpa? Ejus igitur sunt, atque esse debent hujusmodi actiones, et damna, cujus etiam solius fuit in iis patrandis culpa, atque officii transgressio.

VII. De naturalibus corporis atque animi defectibus, atque imperfectionibus, de physico temperamento et passionibus animi a temperamento, lege physica derivantibus nullus potest imputari. In naturalia haec et non voluntaria corporis et animi nihil possumus: eaque inviti potius et reluctantes patimur, quam voluntate, et arbitrio nostro frua-

mur. Hujusce naturae actiones, effecta, imperfectiones, sicut morali merito, atque demerito, ita et omni imputatione vacant.

VIII. Muneris tamen nostri atque officii est, nobisque idcirco imputabile, imperfectiones et defectus naturales ad animum potissimum spectantes, corrigere, moderari, et ita flectere, ut nos ad vitia aut amplius non trahant, atque a virtute retrahant, aut remissioribus saltem agant viribus. Temperamenti igitur vitia, physici saepe humanorum defectuum fontes, passiones vividae contra officia ut plurimum trahentes, animi mentisque cultura, virtutum moralium comparatio, vitiorumque in temperamento, et anima semper repullulantium extirpatio, aut castigatio, potissima officiorum argumenta existunt. His deesse, cum adversa omnia possumus, vitio nostro fit, nobisque merito imputatur. Spiritus enim et corpus existimus omnes: mutuoque in se se agunt et aguntur duae illae nostrimet esse essentialia partes. In animum semper agere corpus, in corpus vero animum; affectus, et passiones a corporis temperamento, sanguinis, caeterorumque humani corporis humorum indole est statu plurimum pendere, ab iis excitari, secundum illa intendi, remittere, attemperari, veritas est et experimentum physicum omnibus hominibus commune, luculenter in Physica demonstratum, et inferius, cum de passionibus sermo erit, iterum evolvendum. Corporis humores, solidorumque vires, cum a cibo, potu, vitaeque ratione et modo pendeant, ad arbitrium nostrum magnopere moderari, et attemperari possunt. Quod vero mentem et animum spectat, si ingenitam illius indolem, et veluti fundum prorsus immutabilem excipias, atque ingenii etiam explicationem, seu vires a primitiva corporis organizatione pendentem; cetera omnia ejus ornamenta, dotes, virtutes, vi-



tia studio, arbitrioque nostro, comparantur. Quidquid sumus, educationis laborisque nostri fructus, atque effectus fere tantum existimus: ut luculentius infra demonstrabitur. In mundum edimur virtutum omnium, idearum, atque scientiae prorsus vacui, earum tamen capaces. Dum igitur mentis animique cultura, arbitrii nostri opere, prorsus neglecta, neque mentem sciendarum rerum cognitione, neque animum comparatione virtutum ornare studemus, nostrone officio non desumus?

IX. Quae de actionibus hucusque diximus, de liberis omissionibus, officio oppositis aut conformibus sunt intelligenda. Cum etenim omissiones in genere morum exercitium libertatis existant, nostrumque saepissime sit rem per nos agere, per aliumve agendam curare, et rem utroque modo omittere; liquidum est, rem ita omittere, verum esse moralem agendi modum, hujusmodique omissiones actionibus esse annumerandas. Porro omissionibus nostris, sicut et actionibus, saepissime tribuuntur, nobisque imputantur effectus, diuturno tempore post omissionem transacto, consecuti. Quot enim vero et quanta ex hujusmodi omissionibus post longum tempus non committimus nobis proculdubio imputanda? Qui studiis, ut par erat, juvenilibus annis operam non navarunt, quot postea fluentibus annis errores non committunt, officioque desunt Theologi, Jurisconsulti, Medici, Oratores, Duces, caeterique hominum ordines humanam societatem componentes?

X. Aliorum actiones nobis etiam imputantur, si in illas scientes et volentes agimus: et id quidem pro ratione caussae et actionis. Plurima quotidie fiunt non ab una tantum, sed a pluribus caussis, multiplici variaque ratione in effectum agentibus, profecta. Quid vero naturali rationi convenientius, quam effectum iis omnibus caussis tribui et referri,

quarum actione aut nomine peraguntur, quaeque eorundem existentiae fuerunt causae? Humanae actiones cum et physicae et rationales existant, vique propterea physica, consilio et voluntate peraguntur, physica atque morali actione ab eadem aut diversis causis ponuntur. Neminem latet physica agendi ratio: morali vero modo agitur mandato, consilio, suasionem, laude: hisce omnibus ad agendum saepe excitamur, moralibus ejusmodi causis deficientibus non acturi. Qui physice agit, alterius saepe mandato aut consilio determinatur; proprio tantum nomine nonnunquam rem suam exsequitur: pluresque aliquando morali, aut physico modo eandem ponunt actionem. Cum postrema hac et communissima ratione agitur, duplicem causae rationem distinguere oportet, principalem scilicet et minus principalem ex quarum notionibus et munere statuenda est imputationis ratio.

Causam praecipuam dico, quae ita physice aut moraliter, agit ut ejus actione posita, fiat, ommissa, omittatur etiam effectus. Causam adjuvantem, minusque praecipuam nuncupo illam, ex cujus sola actione physica vel morali non consequeretur effectus aut rei ommissio. Actionis igitur unica aliquando, plures interdum possunt et solent esse causae: id quod de minus praecipuis potiori jure intelligendum. Cum plures homines homicidium aut furtum commiserint, eorum singulis seorsim committendum; plures tum esse dicimus principales patrati facinoris causas. Quod si una aut altera sit, quae vel insimul cum aliis, vel seorsim etiam agerent, dum interim caeterae excitant quidem aut adjuvant, actionem tamen se solis non patrarent; priores quidem principales, posteriores vero adjuvantes, aut si mavis, secundarias causas merito nuncupabimus. Si tandem causae non nisi unitae et conjunctim a-

gant, citra unionem non acturae, tum vero omnes quidem conjunctim causa principalis habentur, atque de actione et secuto effectu imputabiles.

Ab his caussarum notionibus, atque divisione, facile quisque definiet, quam ratione et proportione de patrato quocumque facinore a pluribus causis physice aut moraliter agentibus facienda sit imputatio. Quenam primo et praecipue culpanda, quanam in totum, quanam etiam in majorem minoremve partem reparandam teneantur. Et haec quidem circa imputationem actionum humanarum naturalem atque civilem, humano judicio definiendam. Quod agentis malitiam attinet, humanum haud est recondita haec cordis secreta explorare, et constantibus regulis definire: cum ab intrinsecis principiis pendeant, soli Deo saepe notis; unde etiam actionum humanarum meritum aut demeritum, evolvenda modo argumenta, derivantur. Haec enim sunt potissima imputationis consequentia, atque effectus moralis in Ethica maxime considerandus.

### §. XXVIII.

*Humanarum actionum meritum et demeritum: utriusque regulae, et causa.*

**A**ctionum humanarum meritum, atque demeritum, potissima enim vero illarum affectio, hominum ornamentum, necessaria est imputationis consequentia. Imputatio autem actionis eam esse supponit voluntariam, liberam, cognitam: ut ultiores ejusdem scalae gradus omittam. Meritum et demeritum sunt dignitas actionis ad praemium, aut poenam, obtinenda: seu valor actionis liberae ad praemium et poenam comparatus. Cum meritum esse dico actionis *dignitatem*, illam meriti speciem non rejicio vulgo a Theologis *meritum de congruo*

nuncupatum, seu congruitatem actionis ad praemium aut poenam. In ea enim congruitate aliquam etiam agnoscimus dignitatem. Duplici autem modo spectari potest et solet meritum, pro intrinseca nimirum actionis indole, atque valore, aut pro effectu bono vel malo ab ea consecuto. Posteriores sensum fere semper intelligimus, cum hominum actiones et facta ad alios homines aut politicam societatem referimus: beneque aut male de aliis hominibus, de patria, de republica, mereri dicimur, non quidem pro sterili, atque impotenti benefacendi affectu et voluntate, sed secundum beneficii magnitudinem atque utilitatem a nostra actione partam. Priori tamen sensu standum semper est, cum humanas actiones et animum in se se spectamus, atque ad naturae auctorem referimus, non externa solum ut homines, sed cordium secreta introsipientem. Secunda igitur acceptio magis propria est; cum verum actionis valorem intrinsecum potius significet; quam effectus ab actione derivantes. Saepe fit, ut supremo armorum duce omni militari virtute praedito, omniaque muneris sui officia agente, male omnia vertant; dum contra sub ductore alio vitiis potius, quam virtutibus ornato, omniaque oscitanter agente, feliciter prosperentur militaria reipublicae negotia. In quonam eorum ducum majus meritum cognoscis? Priorem quidem vere meritum, posteriorem vero felicem et bene meritum nuncupabimus.

Utriusque meriti fundamentum et causa est agentis libertas, natura actionis, animi intentio, atque finis. Ubi necessitate agitur, nullus amplius est electioni locus, nulla imputatio, nullum meritum. Cum vero causae liberae notio voluntarium, electionem, atque cognitionem complectatur, secumque involvat; sponte inde fluunt sequentia. I. Quidem caus-

sas omnes atque agentia mentis expertia, meriti atque demeriti esse prorsus incapacia. 2. opus praeterea esse propria voluntate, atque electione agere, remque prius cognitam volendo atque eligendo perficere. Tria enim haec, ut dixi, cognoscere, velle, eligere liberae causae notionem constituunt ad imputationem, meritum, aut demeritum necessariam. Unde enim laudi aut culpae mihi referetur, merito aut demerito imputabitur, dum necessitate agor potius, quam agam, meumque non est agendam actionem omittere, aut omittendam peragere?

3. In tota igitur rerum naturalium complexione hominem tantum agnoscimus meriti atque demeriti capacem. Sola enim humana species rationali libertate agit. Animalibus vegetantibus, rebusque caeteris utilitatem, aut inutilitatem, commodum aut incommodum, bonum aut malum physicum referre possumus; non tamen meritum aut demeritum morale: alterius scilicet, atque altioris ordinis attributa.

4. Illa omnia generatim tollunt meritum atque demeritum, omnemque actionum affectionem moralem, quae cognitionem, voluntarium, libertatem tollunt, aut plane impediunt. Quae igitur sine cognitione, voluntate libertate agimus, non sunt per se se actiones morales, honestatis scilicet aut turpitudinis, laudis aut vituperii capaces. Cum ita agimus, animalium instar agimus, physicis tantummodo corporum legibus atque viribus ducti. Plurima vero hujusmodi in nobis, et a nobis saepissime peragi, commune est omnium experimentum. Quot enim vero ebrietate, furore, amentia, vehementissima passione rationis lumen offuscante, atque libertatis usum ad tempus impediante, ab hominibus saepe non peraguntur? Ea omnia, etsi alias serena mente patrata laudi aut culpae tribuerentur, in eo tamen animae statu moralitate destituuntur. Per se

se dixi, propterea quod, si quis in hujusmodi circumstantias volens devenerit, futurarum actionum praevisionis capax; non quidem ex patris actionibus, sed ex voliti periculi praevisione merito fiet reus.

5. Infiniti sunt hominum affectus, dicta, facta, quae licet ex eorum natura possent esse moralia, sunt tamen pure physica: plura per se se alioquin honesta, in datis tamen, quas saepe ignoramus, circumstantiis, sunt turpia atque vicissim. Ad primam classem spectant omnes corporis, animique motus, actiones, affectus citra mentis advertentiam, voluntatem, aut libertatem, ex juris naturae legibus elicti. Secundi ordinis sunt actiones per se se honestae, prava tamen intentione, atque ad finem non honestum factae. Quid eleemosynae actu laudabilius? Quid tamen si illam pauperi puellae in malum finem porrigas? Praecipua enim, atque necessaria humanae actionis, hoc est, liberae atque rationabilis conditio est, propter rectum finem agi, ad illumque obtinendum *intendi*: a quo si agendo deflectes, aliudque animo volvas, ab externa actionis specie alienum; bene forsan apud homines civilemque societatem merebis, ad intima cordis scrutinia non pertingentes: apud Deum tamen, omnis cordis latebras plusquam meridiana luce *pervadentem*, imo et apud te ipsum ex conscientiae dictamine, te de actione in speciem honesta reum esse condemnas. Tertii ordinis sunt actiones re quidem malae, innocua tamen mentis aestimatione, erronea conscientia bonae. Sed duo haec postrema, iterum dico, apud Deum, verum et justum humanarum actionum aestimatorem: homines enim externam earum faciem, ut plurimum aspicientes ex apparenti utilitate, aut damno, fere tantum statuunt actionis characterem.

6. Ubicumque desit intentionis rectitudo, actionis

etiam alias bonae, omne tollitur meritum. Sicut enim agere propter finem, generalis est, atque essentialis humanae actionis character, agendi vivendique ordo; ita et honestum finem semper respicere, quaerere, in eumque actiones, vitamque dirigere, naturali lege tenemur. Ab ea igitur honesti finis conditione, et ordine lege naturae praescripto, maxime pendet actionum honestas, et naturale meritum. Naturale dixi, philosophicum, et theologicum; humanos enim legislatores, et civiles societates de animorum latebris plane ignaros, meritum non nisi ab effectuum magnitudine, atque utilitate statuere posse, in comperto est. Esse igitur saepissime magna apud homines merita, quae in se se, et apud Deum sunt vera demerita, et vicissim, hucusque dicta, atque utriusque meriti notiones demonstrant. Duplex scilicet hic merendi, aut demerendi ordo, fine, objecto, aestimandi modo differunt. Si nostras quisque actiones scrupulosa analysi examinemus, ultimamque aut primam earum rationem, et veluti radicem quaeramus; si omnia hominum cogitata, dicta, facta penitissime introspiceremus, quaenam tum vero explicaretur scena a communi aestimatione aliena? Quot scilicet hominum actionibus in speciem quidem honestis, praeclaris, omni laude, atque praemio humana aestimatione dignis, meritum omne detrahit, et plane corrumpit, animi vitiosa intentio, finis, necessitas, affectus, passio?

7. Cum meritum morale et civile diversi ordinis existant, primumque pro objecto habeat honestatem, secundum utilitatem, atque beneficium aliis praestitum; illudque praeterea internis innitatur principiis, et actibus consistat, hoc vero externis et apparentibus; consequens inde est, neminem mortalium de vero alterius hominis, humanarumque actionum merito morali posse esse iudicem. A principiis enim

os penitus latentibus pendet, augetur, minuitur, corrumpitur. Quis enim mortalium est, qui de meo loquentis, et agentis animo, intentione, fine, libertate, affectu, aut passione ferre possit sententiam? Haec enim vero uni Deo nota, potissima sunt meriti atque demeriti causa, aut conditiones. Ex his principus pendet, crescit, minuitur, evanescit. Ubi purior est animus et intentio, finis et objectum sublimius, affectus vehementior, actio vero aut opus peractum ad officium praestantioris ordinis spectet; majus inde oportet esse meriti incrementum.

Ex actionis difficultate, ex obstaculis etiam et passione animum et mentem in contraria flectente, et praestandis officiis contraria augeri etiam meritum, res est indubia. Ad injuriosa verba in duos homines prolata, unum quidem temperamento phlegmaticum, et fere insensibilem, alium vero vivacem et iracundum; neuter eorum injuriam pro injuria reddit, sed serena fronte rem totam condonant. Essene vero in utroque homine meriti aequalitatem? Nihil forsau phlegmaticus, plurimum certo meretur iracundus.

Cum plurimae sint allatarum caussarum combinationes, eaeque, atque illarum gradus, et intensio nos semper lateant; iterum inde patet, asserta modo propositio, neminem mortalium de vero alterius hominis morali merito, aut demerito posse esse judicem. Ratione igitur naturali, atque humana philosophia ducimur ad divinam illam altioris sapientiae amplectendam sententiam; *nolite judicare, et non judicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini.*





E T H I C A E

S E U

PHILOSOPHIAE MORALIS

P A R S II.

*De praecipuis humanarum actionum excitamentis, atque impedimentis physico-moralibus, ad naturalem humanam felicitatem assequendum.*

S E U

*De humanis passionibus physico-moralibus, earum natura, evolutione, necessitate, usu et abusu, seu vitiis, eorumque remediis.*

§. I.

*Perennis actio et passio totius humanae vitae summa, atque ex naturali, factitia, et morali hominis constitutione necessario consequens.*

**H**actenus generalem humanarum actionum notionem, naturalem indolem, et quamdam veluti theoriam, primitivasque morum regulas ex humanae rationis, liberae voluntatis natura, aliisque Meta-physicae principiis per se se constantibus, aut ratione demonstratis profluentes exposuimus. Necessaria illa sunt dicendarum rerum, totiusque moralis philosophiae, universam morum, legumque scientiam complectentis, elementa. Inde humani mores deducendi, statuenda officia, virtutes, vitia, moralia omnia, bonum et malum definienda. Ut quaenam sit nostra hominum felicitas naturalis, philosophando detegamus, vivendo autem assequamur, tantaeque

rei tentandae rationem, et media habeamus; primi-  
 vii fontes quaerendi sunt, atque principia, unde  
 res tota pendet, atque derivatur. Haec igitur im-  
 primis explorata habere oportet, hominis naturam,  
 facultates, vires, integramque ejus vitae rationem.

Quidcumque rei sit, atque statuatur humana fe-  
 licitas naturalis; ea proculdubio esse debet humanis  
 viribus, vivendique exercitio comparabilis: aliter pro  
 vera felicitate vanum ejusdem simulacrum prose-  
 queremur. Humanae autem vitae, viriumque exer-  
 citium et summa adeo est agere et pati, ut in a-  
 gendi, patiendique perennitate consistere videatur;  
 indeque est notum illud proverbium *vivere est a-  
 gere*. Actioni vero respondet semper passio; dum  
 de naturalium rerum actionibus loquitur. Si omnis  
 actio in homine, vel tantillo tempore intermitteret,  
 non modo rationis, et sensus, sed etiam pure phy-  
 sica; nulla amplius esset vita: in agendi igitur, at-  
 que patiendi perennitate humanum vivere consistit:  
 eademque est rerum naturalium, totiusque naturae  
 ratio, per totam Physicam fuse exposita. Motu e-  
 nim, ordinata actionum, resistantiarumque perenni-  
 tate materialia omnia fiunt, durat mundus, natura  
 ipsa stat et conservatur. Haec a natura, ab homi-  
 ne ipso parumper cogitando tolle; omnis in mundo  
 cesset motus. Quid tum mundus materialis, quid na-  
 tura rerum, quid homo ipse, nisi hominis, mundi,  
 naturae cadaver! Motu igitur, quasi anima, tota a-  
 deo vivificatur, animatur, agit natura, ut eo ces-  
 sante, omnia langueant, et mortua jaceant.

Quod si hujusmodi est totius mundani systematis  
 conditio; in homine, principe naturae parte, potio-  
 ri jure res locum habet. Hominem, contra ac ma-  
 terialia omnia corpora, non modo duplex compo-  
 nit substantia, duplexque agendi, atque patiendi prin-  
 cipium, in se se mutuo, et seorsim, in externa ve-

ro corpora conjunctim agentia ; sed multiplex praeterea actionum ordo, alius alio superior in nobis distinguitur. Motu, instinctu, sensu, affectu, passione, ratione, et voluntate perenniter agimus, et agimur. Quae quidem sunt vegetantis, sentientis, atque rationalis compositi et vitae characteres, et propria munera hominem a caeteris omnibus rebus, animatis, aut inanimatis distinguentia. Totum humanum vivere, omnes et singulae vitae nostrae functiones et exercitium ad enumeratas vegetantis, sentientis, rationalis vitae facultates, humanam naturam constituentia, revocantur. Qualemcumque ergo tibi statuas humanae felicitatis, seu felicitis vitae ideam ; eam proculdubio in perennitate quaerere oportet. Quid enim vitam efficere potest beatam, nisi ipsiusmet vitae elementa, atque perenne exercitium ?

Naturalis vitalium actionum ordo et evolutio est, primo quidem motus, deinde instinctus, postea sensus, et tandem ratio, atque voluntas. Solo motu physico, et materiali peraguntur in corpore nutritio, caeteraeque naturales, et vitales functiones: eo uno incipit et desinit humana vita; isque unus in nobis superest illis vitae temporibus, quibus vel naturae ordine, vel aegritudine correpti, omni sensu et rationis usu destituimur. Argumentum pure physicum in Physica viventium luculenter expositum, in Ethica indicasse satis. Ex actione et motu, primo vitae physicae et moralis fundamento, consequitur sensus, post sensum, evolutis jam, et confirmatis sensuum organis, explicantur et agunt sublimiores et principes animae facultates, ratio et voluntas. Postrema haec sensus, ratio, voluntas humanam vitam, philosophiam moralem, humanos mores proprius tangunt, eamque totam componunt. A sensu, duabusque illis sensus affectionibus, passione et affectu, magnam vitae partem toti fere sumus. A

sensu incipimus, sensu prosequimur, agimus, in periculum adducimur, praecipitamus; quoad tandem clarescens ratio ardentem affectum et passionum obscuritatem placido lumine moderetur, dispellat, nosque a passionum periculis cautos facienda, vitanda toto vitae curriculo doceat.

Quoniam igitur passiones et affectus in rationem, in voluntatem, in totam moralem vitam maxime agunt; rationem saepe obumbrant, voluntatem fleant, mores corrumpunt; sequentia de iis evolvaemus argumenta. Quid sunt passiones; quamnam habent vim; quonam modo in animum et mores agunt: quodnam earum principium, objectum, finis; in quidnam tandem resolvuntur: quonam pacto sine noxiae, utiles, necessariae: qualisnam esset homo nullis passionibus agitato; qualis vero ex adverso passione semper agens. Atque haec una argumentorum propositio ad evidentiam ostendit, neminem merito dici aut esse posse Philosophum moralem, qui in Physica, Logica, Metaphysica non sit profunde doctus.

## §. II.

*Definitiones passionum et affectuum:  
multiplex earum divisio, in naturales, factitias,  
sensuum, Animae.*

**A**b humanae naturae constitutione, et physica vitae nostrae conditione in praesenti rerum statu, modo quidem a nobis levissime indicato, in Physica vero viventium fuse exposito, sponte consequitur non modo physicae et naturalis, de qua impresentiarum non agimus, sed et vitae moralis ordo, principium, medium, finis. Si humanam naturam a primo embryonis initio ad ultimum usque vitae spiritum contemplemur; circulum quemdam

in gradata facultatum animae evolutione, statu, et involu-  
tione animadvertimus. Eo scilicet redimus, unde incepimus; cum vita nostra suo tantum genio et sponte fluit ad ultimam usque senectutem. Humanis corpusculis, sola nutritione, interno fluidorum motu peracta, vegetantium instar intra maternum uterum evolutis et informatis, explicatur deinde sensus, comparantur ideae, clarescit et confirmatur ratio. Triplici hoc vegetantis, animantis, et cogitantis munere eo usque tota veluti energia fruimur, quoad flexu aetatis illa etiam inclinare incipiant, eo-que citius tardius perveniant, unde olim duximus principium.

Dum ita fluit humana vita, hujusmodique circum-  
lum vivendo conficimus, cum et anima et organi-  
cum corpus existamus, mirabili commercii lege in-  
ter se unita; atque praeterea corporibus semper cir-  
cundemur in nos perenniter agentibus; inde fit, ut  
duo illa principia, anima et corpus se se mutuo  
semper afficiant, mutuo a se se patiantur: et cor-  
pora externa in nos etiam constanter agant, pluri-  
munque ab iis afficiatur corpus, sentiat, et patia-  
tur anima. Ea igitur est nostra hominum conditio  
in praesenti rerum statu, ut humanum vivere non  
solum sit perennis actio et passio, quod modo fuit  
probatum, sed quod perennis illa actio et passio pera-  
gatur motu, sensu, ratione, seu voluntate. Fun-  
ctiones pure physicae, quodque in nobis est pure  
mechanicum, naturale, et vitale nuncupatum, ex  
genio machinae atque ex partium machinam com-  
ponentium energia perennatur. Post hujusmodi fun-  
ctiones, et una simul cum hisce motibus, instinctu,  
sensu, ratione, et voluntate agimus. Ex perenni,  
et multiplici circumstantium objectorum in corpus no-  
strum, et per corpus in animum actione, et mutua  
etiam internarum corporis humani partium inter se

actione, atque ex majori minorive organorum tenitudine, excitantur in anima infiniti poene sensuum gradus, jucundi, aut molesti, remissiores, aut vivaciores. Tota ex hisce fontibus est mira illa, atque infinita affectionum varietas, quibus anima ad objecta prosequendum, aut fugiendum sensu, appetitu, voluntate allicitur, trahitur, aut retrahitur. Haec vero animae oblectamenta et veluti flexiones illud tandem sunt, quod affectuum, et passionum nomine intelligimus; unde adeo pendet moralis vita et philosophica. Quid rei haec sint, distinctius statuamus.

*Definitio. Instinctus sunt naturales animae sentientis motiones ad certum objectum illico prosequendum aut fugiendum, ab indole et statu corporis, atque objecti ipsius actione excitatae, citra praeviam objecti cognitionem.* De instinctu physico tantum loquor: sit, necne etiam moralis, hoc loco non definio. Si hanc notionem, si te ipsum, si modum, quo corpora in te agunt, penitus mediteris; instinctus ideam, nomen tantum non esse, instinctum existere, plurimaque ab homine, et a caeteris animantibus solo instinctu fieri non inficiaberis. Quae instinctu fiunt, medium quoddam existunt inter motus pure naturales, seu vitales, et actiones animales seu mores. Non ex ratione, non ex voluntate, neque ex claro sensu agitur, sed ex objecti actione per obscurum sensum apta organa excitante.

*Affectus, vulgari sensu acceptus, est tranquilla animi propensio objectum cognitum citra mentis perturbationem jucunde prosequentis.* Quoniam tamen erga objectum amore aut odio moderate affici possumus; affectus generatim dici potest, tranquilla animi erga objectum prosequendo, aut fugiendo, propensio aut aversio.

*Passiones merito dicimus procellosas affectuum tempestates.* Quo nomine intelliges, vividos affectuum ardores, animum versus objectum tumultuario impetu, offuscato prudentiae lumine, impellentes. Passio a peculiari hominis temperamento, a sensu, a continuata repraesentatione, atque vivida imagine objecti fere semper habet originem. Ratio tandem, peculiare illud moralis vitae, omniumque humanarum actionum regula, ductor, principium, tempore quidem, atque exercitio postremus, dignitate et merito primus, est serena illa mentis claritas et lumen, quo inter verum et falsum, bonum et malum discernimus.

Instinctus igitur, affectus, passiones, ratio quamdam efficiunt agendi gradationem, et actionum seriem, per quam humana natura, dum se se crescendo explicat, ad perfectiorem gradum ascendit. Instinctus est caeca ad agendum naturalis impulsio. Affectus sunt tranquillae et moderatae animi propensiones ad objectum cognitum, ex illius merito atque ex naturali indole derivantes. Passiones sunt fumosus fervor, et tumultuosi motus, aut potius conatus animum ad objectum cognitum, inconsulta fere ratione, rapientes. Ratio vero est clarum mentis lumen, aequae ab affectuum inconstantia, atque a passionum violentia, et fumoso fervore aliena. Instinctum non male dices quamdam corporis attractionem, sensu quodammodo interveniente agentem. Affectus moderato placidoque vento comparari potest; qui sensim auctus in furiantem tempestatem et turbinem saepe degenerat. Affectus idcirco in passiones se se intendendo, passiones in affectus se se remittendo transmutantur: dum interim ratio sibi semper constans, serena, placida, immutabilis permanet. Non male rem totam materiali hoc exemplo adumbrabimus: affectu calescimus; passione flagramus; ratio-

ne illuminamur. Exempli analogiam id ulterius confirmat, quod sicut in rebus materialibus calor, ignis, lux sunt activae agendi virtutes; corporaque calida, ardentia, lucida ex calore, igne, luce producunt effectus innumeros; ita etiam homo liber ex affectu, ex passione, ex ratione agit; totaque moralis vita ad haec tria revocatur principia.

Quin imo perinde ut calor est moderatus ignis; uterque vero idem elementum existunt, atque principium actionis (a); ut luculenter in Physica demonstravimus; affectus etiam est dicique potest initium,

(a) Liceat per recentiores Chemicos Latio donare, quae ipsi barbaris nominibus *gaz*, *calorici*, *oxygeni*, et aliis ejusdem farinae vocabulis significant. Absit ut recentium Chemicorum laudi aliquid detractum velim. Post lecta eorum tentamina, et experimenta experimentis, observationes observationibus saepe contrarias, haec apud me statuo. 1. Recentiores Chemicos de rebus physicis bene mereri. 2. Multa ab iis ut nova in medium produci, antiquis nota, novisque nominibus veteres ideas significari. 3. Cum a pluribus annis inter Chemicos ipsos magnae extiterint dissensiones, cum experimentis accuratissime institutis nova experimenta non responderint, aliaque ab aliis demonstrantur fallacia; prudentis hominis est, tum solummodo nova inventa apud se rata statuere, cum jam communi philosophantium transactione fuerint confirmata. Quin imo post transactionem ipsam, humanas opiniones ubique sapientem, sanctum illud mente et animo repostum semper haberi debet *experimentum fallax*, *ratio difficilis*. Quenam de phlogisto inter se contraria non existimabantur experimentis demonstrata? Fuit tempus cum phlogistus credebatur ignis, rei idea Graeco nomini respondente. Alia modo phlogisti idea, et vocabuli significatio. Quisnam observandi sagacitate, experimentorum, et instrumentorum copia et luxu Priestleyum hactenus superavit? Nihilominus multa accuratissimis experimentis ab homine probata et statuta, novis experimentis in dubium revocantur. Ab uno disce alia.



et remissior gradus passionis ; passio autem summa intensio affectus. Unde id facile consequitur, sensum ; seu affectum, passiones, rationem tria esse moralium nostrarum actionum generalia principia. Quidquid humanum agimus, id voluntas nostra sensu, passione, aut ratione peragit.

Passiones multiplicis generis existunt ex objecto, modo, atque viribus inter se admodum diversae. Praecipua earum divisio est in naturales, et factitias. Naturales dicuntur, quae per se ex naturae fundo explicantur, neque ab ullo statu factitio, et arbitrario pendent. Sunt ergo passiones purae naturae propriae, atque idcirco omnibus hominibus communes. Hujusmodi sunt fames, sitis, timor, libido. Factitiae vero quae a statu inter homines facto, seu constituto derivantur. A statu Societatis, ab hominibus inter se constituto, et factitio propterea nuncupato, sunt superbia, ambitio, amor gloriae, avaritia, amor potentiae, et plures hujusmodi extra Societatem ne quidem nomine, aut idea cognitae.

### §. III.

#### *Principium atque natura physica humanarum passionum, et affectuum.*

**I**n humanis passionibus, atque affectibus, perinde ut in actionibus, tria distinguuntur, mechanicum, sensibile, rationale : atque secundum hasce rationes in praesenti rerum statu ex naturali hominis constitutione derivantur. Inde earum omnium origo, natura, effectus. Brevissima rei ethicae expositio ex physicis desumpta, utrumque caput titulo propositum demonstrabit ; quantum argumenti difficultas patitur.

Quid homo in praesenti rerum statu? Anima sentiens, cogitans, volens, et corpus organicum, mirabili commercii lege, quidcumque tandem illa sit,

inter se unita, in se se mutuo agentia, et a se se mutuo patientia, mixtum compositum constituentia, corporibus perpetuo circumdatum, quibuscum semper est in perenni agendi et patiendi vicissitudine. Ex actione externorum objectorum in corporis nostri organa, et ex illa corporis et animae in se se, mutuo consequitur affectio et passio mechanica. Affectio in sentiente composito animato recepta excitat sensum; aut ex huiusmodi affectione sensus elicitur: qui est vera objecti grata aut molesta perceptio, animam ad objectum alliciendo trahens, aut ab illo retrahens. Huiusmodi vero perceptio objectorum ex iisdemmet caussis et constitutione rerum servatur, intenditur, remittitur, quibus primo fuit excitata, et elicitata. Haec vero sunt vis et continuatio actionis objecti in corpus et animam, indoles organorum, ratio temperamenti, vivax imaginationis et cogitandi brevior, aut diuturnior intensio. Quem hominem latet, sicut ex fortiore affectione in corpore vivacior in animo elicitur, et intenditur sensus, imago, cogitatio; ex continuata etiam objecti imaginatione, et contemplatione intendi in humoribus et toto corpore alterationem, motum, sensum; novae intensiois, et continuationis in imaginatione, et cogitatione causam?

En physicam affectuum, atque passionum causam, et modum. 1. enim passio (idem de affectu intellige) non est affectio mechanica, sed sensus et affectio animae sentientis, atque corpori unitae: nulla autem intelligitur affectio, neque passio etiam mechanica sine actione physica: sublata igitur actione physica nostri, vel alieni corporis ad animam usque transmissa, nulla esset animae passio, affectus, imaginatio, perceptio. 2. Satis tamen haud est actio physica quocumque modo ad cerebrum transmissa, et inibi physice recepta, nisi media illa a-

ctione afficiatur anima in corpore existens. In anima separata a corpore sunt ne sensus, affectus, passionibus, quibus agimur viventes? Principia igitur passionum sunt: 1. Actio physica externa corporum in organa sensuum, ad animam usque transmissa. 2. Actiones etiam internae spirituum animalium caeterarumque nostri corporis partium, animam suo modo afficientes: quo quidem nomine imprimis intelligo corporis temperamentum. 3. Imaginatio continuata, atque cogitatio de passionis objecto.

Quid vero est passio, inquis, in se ipsa? Quid natura passionis ab hisce principiis, et origine consequentis? Respondeo: Passio vel pro actu ipso intensi, atque durantis sensus usurpatur; vel pro interno temperamenti, animique habitu, unde vivax excitatur sensus. In priori acceptione passio est *intensio sensus, aut voluntatis*, qua objectum re, aut mente praesens ardentem inhiamus, fruimur, aversamur. In posteriori vero sensu, et statu, passio est *physicus et insitus voluntatis stimulus*: activa illa scilicet temperamenti, animique habitudo, quae per se se est naturalis aculeus, et irritamentum sensus et voluntatis. Hac passionis in duplici illo sensu usurpatae expositione, satis significatur, quaenam sit eius natura, et peculiaris character, quo a caeteris animi, corporisque affectionibus distinguitur. Atque priori quidem definitione excluduntur. 1. Sensus quicumque et volitiones non intensae: quae affectus tantum nomine vocari possunt. 2. Sublimia illa, et pura animae desideria, quibus in Deum ardentem rapimur. De naturalibus tantum sensuum animaeque affectionibus loquimur: altiora impraesentiarum omitimus. 3. Externa sensus, et voluntatis excitamenta.

4. Passiones in priori acceptione sunt praesens sensus, et voluntas objecti re aut imaginatione praesentis: in secunda vero naturale affectionis irrita-

mentum. Nonnunquam una simul existunt, et agunt: saepe etiam sola secunda premimur, et agimus. 5. Passiones, sicut et affectus, sunt naturales humanae naturae consequentiae in praesenti rerum statu, atque vivendi exercitio. Perenniter enim agimus, et agimur: ex actione physica consequitur passio, seu affectio physica: ex affectione, in corpore animato et sentiente recepta, elicitur sensus: ex sensu appetitio, voluntas, prosecutio, fruitio: continuata objecti cogitatio, imaginatio, voluntas sensum, et sensus excitamentum intendunt, novasque iis addunt vires, quibus et ipsae ulterius intenduntur. En humanam constitutionem, humanum vivere, et naturalem inde passionum originem.

Tandem cum multiplicia sint naturalia objecta, quae sentire, velle, nolle humana voluntas possit; aliaque ex parte hominum temperamenta, educatio, consuetudo, vivendi ratio, cognitiones infinitam fere habeant diversitatem; duo hinc sponte fluunt praesentis argumenti consectoria. 1. Passiones non modo ex origine, ut supra ostendimus, sed ex objectorum varietate inter se se distingui, et alias ab aliis dividi. Singulis quibusque vitiis, atque virtutibus propriae respondent passiones. Quanta igitur et qualis in passionum characteribus diversitas! Sed de hoc argumento statim. 2. Singulos homines alia prae aliis passione agi. Quenam enim in temperamentis, aliisque passionum principiis multiplicitas! Quenam inde passionum, et characterum in hominibus varietas! Eadem saepe passione infiniti premuntur homines; sed magnum inter eos est intentionis discrimen, milleque aliis passionum modis, et varietate distinguuntur. Estne vero in homine, in gente aliqua, in singulis saeculis passio aliqua princeps, ut dici solet; an pluribus aequae praemuntur, vigetque insimul in humano animo, in eadem gen-

te, et saeculo plurimum passionum veluti senatus et respublica? Quaestionem neque una, neque facili responsione solves.

Si passiones, et affectus ab ipsamet natura et constitutione hominis derivantur, et maxima vitae rationalis pars, atque exercitium existunt; dicine merito debent aut possunt inutiles, aut noxiae, ut vocari vulgo solent? Quod a natura per se se est, ipsiusque opus existit, et quo sine praesens hominum vita, et constitutio ne quidem intelligitur, idne inutile, et noxium? Haec evolvamus, idearum catenatione ducti.

#### §. IV.

*Passionum pericula, aut utilitas: quid homo sine passionibus? quomodo passiones et affectus principium agendi?*

**N**ihil forsitan est, contra quod vehementius vulgo declametur quam humanae passiones. Has passim ab omnibus fere damnari audies, non modo ut inutiles, quod parum esse videretur, sed ut moribus, humanae societati, virtutibus omnibus, et naturali felicitati penitus oppositas. Illae praeterea malorum omnium fontes statuuntur, atque perennis scaturigo. Iisdem referuntur bella omnia et eversiones populorum, et ut verbo dicam mala omnia politica, civilia, moralia. Iis propterea a mundo, ab humano animo eradicatis, aurea iterum Poetarum aetate fruermur, atque naturali beatitudine. Aliqua ne est veritas in vulgari hac hominum declamatione? Sunt ne inutiles, superfluae, noxiae humanae passiones, an potius naturae, vitaeque hominum utiles, et naturalis humanae naturae perfectio?

Cum multiplices sint humanae passiones, plurimisque capitibus inter se differant; ad quaestionis

adeo complexae solutionem , distinguere primo oportet passionum essentiam ab earum accidentibus : deinde earum causam et originem , objectum et finem inspicere . Quid praeterea , et qualis esset homo omni passione destitutus . Quod primum attinet , tota passionum essentia , et , si fas est dicere , substantia , est vivida sensus , aut affectus animae intensio versus objectum . Quod vero mentem saepe obtenebret , agendi libertatem tollat , diuturnaeve durationis existat , id quidem non essentia passionis , sed accidens quoddam , atque excessus , voluntati nostrae plurimum referendus . Earum causa , origo , originisque modus ex physica hominis constitutione naturali et factitia , atque ex animae indole intelliguntur . Objecta vero sunt quid est , aut esse potest nostrae voluntatis objectum , quidquid in nobis producere potest doloris aut delectationis sensum . Finis tandem , quo a passionibus vivide excitamur , est animi jucunditas , ea scilicet objectorum fruitio , is animi , corporisque status , et conditio , qua contentos nos fore existimamus .

Hisce omnibus propositae quaestionis elementis penitus examinatis ita statuo , passiones in genere , et secundum earum essentiam acceptas non modo esse humanae vitae , et societati utiles , sed etiam necessarias ; earum tamen excessus , atque accidentia saepissime noxia . In genere dixi : neque enim singulas passiones in propositione comprehendo : illas omnes excludo , quae ex objecto atque indole opponuntur rationi , atque morum honestati . Siquidem illae passiones sunt , quae hac declamatione merito profligantur , propria indole , atque objecto vitiosae , de quibus luculenter disputabimus ; publicae declamationi libenter concino . Hae enim vero sunt naturalis illa ruinosae communis protoparentis haereditas , velimus , nolimus , irrepu diabilis , a gene-

Artes, scientias, humanas leges, populorum, nationumque constitutiones, et regimina, quis unquam inficiabitur ad humani generis bonum, et felicitatem utilia et necessaria: et non nisi ab humana ratione post profundas plurium saeculorum meditationes paulatim fuisse inventa, promota, et ad quam modo habent perfectionem producta? Si ergo haec ad humanam vitam, ad naturalem felicitatem prorsus necessaria non nisi passionum stimulis mens humana cogitando invenit, prosequitur, perficit; quid de passionum utilitate statuendum? Ita vero res est. Humanae rationis explicatio, progressus, perenne exercitium, et perfectio, passionum activitati, vivacibusque desideriis magnam partem debetur. Ardens nostrum cogitandi, sciendi, meditandi studium in fruendae tandem delectationis, et propriae utilitatis desiderium resolvitur. Sine desiderio, aut metu nullus studendi labor: profundae ergo diuturnaeque meditationes non nisi vivi desiderii possunt esse fructus.

Quid tamen, inquires, nonne magna animi tranquillitate rebus hisce omnibus, aliorum laboribus fruimur, vitamque ducimus majorum sudoribus suavem? Qui ita interrogando opponit, se interim dat aliorum laboribus, et passionum fructibus gaudere: passionum igitur beneficium esse fatetur, quod rebus ad vitam utilibus, jucundis, necessariis fruatur. Tuisne an aliorum passionibus vitam debeas, nihil de earum utilitate minuit. Qui in horti optime culti possessionem succedit alienae passionis atque laboris effectu fruatur.

Imaginatio etiam, voluntas, cogitatio, quae passionum debent esse moderamina et remedia, earumdem saepe sunt vivida incitamenta. Desiderium, timor, aversio, odium, ira, furor, aliaeque passiones post objectorum imaginationem et cognitionem conceptae, imaginationis, cogitationis, et volitionis con-

tinuitate intenduntur, et servantur. Neque desiderari, neque timeri possunt objecta, nisi eorum praecedat cognitio. Proprio autem quisque nostrum sensu edocemur, ad primum saepissime objecti conspectum, aut cognitionem, eorum in nobis desideria, odia, timorem excitari; excitata vero imaginando cogitando, volendo, crescere, conservari, intendi.

Ita homines comparati sumus, ut physica sentientis naturae inclinatione, in instinctum forsitan recedente, sensu et ratione vivamus, ducamur et agamus. Nomine sensus intelligo etiam impraesentiarum imaginationem, et quidquid in homine non est pure mechanicum, et pura ratio: per rationem vero intelligo pariter voluntatem. Quidquid animo agimus vel impulsu et allicientia sensuum, vel impulsu et suasionem rationis agimus. En duo proxima omnis nostrae actionis non mechanicae principia, objecto ut plurimum, viribus, agendique modo admodum diversa. Prioris principii objecta sunt sensibilia, rationis vero omnia. Sensus circa objecta omnia sensibilia praecedit semper rationem et voluntatem: vivax ejus intensio est passio sensuum, quae rationem excitando fit pariter passio voluntatis, animumque ad objectum, et actionem saepe trahit, semper vero inclinatur et vehementer allicit. Vis etiam sensus seu passionum ad sensum et imaginationem spectantium longe intensiores, ut plurimum existunt, quam pura ratio, seu purae rationis, et voluntatis passiones. Animus sensibilibus veluti aestuat, incenditur, trahitur; rationalibus vero suadetur, et citra ardorem, impetum, furorem allicitur. Quod modum spectat, primae ex ardore obscuro praecipitant, secundae clara perceptione et lumine excitant.

Passiones igitur et affectus, cujuscumque ordinis sint, ad sensum, aut puram rationem, seu voluntatem spectent, ad agendum excitant. Quin imo



generalis earum character est activitas, excitatio, agendi irritamentum, ardor. Dum contra ubi passionum privatio, ibi indifferentia, inertia, torpor, oscitantia.

Sensus et ratio, eorumque passiones nonnumquam in objecto conveniunt, sensumque vivide titillant, quod rationi etiam probatum voluntatem allicit. Multoties tamen differunt: damnat ratio quod alliciendo trahit sensum. Cum in objecto probando, aut fugiendo conveniunt; maxima tunc est passionis activitas. Cum aliter appetitu, et inclinatione, aliter ratione de eodem objecto sentimus; qua quidem discordia fere tota impenditur vita; tum vero illa intra nos agitur rationis et appetitus lucta, ex qua maxime pendent humanae actiones, omnia civilia, politica, moralia.

Esto, ratum fixumque apud omnes sit, passiones et affectus plurimum posse in humanas actiones; sunt tamen principia solum proxima et secundaria. Animus seu potius homo illis ut cumque illectus, excitatus, aut tractus, ultimum et princeps existit suarum actionum principium; et causa. Quinam enim tandem tribuuntur humanae actiones? Cum hominis etiam sit proprias passiones modificare, fraenare, vincere; quodammodo etiam dici potest suarum passionum causa, easdem intendens, fovens, remittens, fraenans, destruens, iisque mediantibus et efficientibus agens. Quaenam igitur est innata illa animi vis, in quam tandem resolvuntur non modo humanae actiones, verum etiam passiones, et affectus? Id modo est examinandum.

Homo se se respiciens, vitandi doloris, quaerendique gaudii, seu proprii boni gratia, sibi ipsi est principium agendi per affectus et passiones: imo et affectuum et passionum causa etiam existit. Humanae actiones, virtutum et vitiorum actus generatim

ex amore sui honesto, aut turpi in homine derivari, superius jam in prima parte fuit demonstratum. Res modo ulterius, et speciatim promovenda. Non modo morales actiones, quod citato loco disputavimus; sed affectus etiam et passiones, tot malorum bonorumque fontes, ex eodem principio pendere conficiemus.

Quidquid agimus naturae indole, instinctu, sensuum vel rationis impulsu agimus. Entis vegetantis, sentientis et cogitantis, quales existimus homines, proprius est triplex ille agendi modus. Si igitur triplex illud actionum genus ab energia naturae se se servare et perficere adnitentis, atque sensu et ratione, quod placet, et bonum sibi existimat, semper quaerentis, proveniat; tum vero non modo, quae ad sensum, et voluntatem spectant, ex indito illo sui amore, bonum et felicitatem respiciente, fluunt, sed quae etiam pure physica sunt ex virtute alia naturae insita amoris sui analoga, derivantur, qua humani corporis machina se perficere, et servare semper adnititur. Ita vero res est. Homo citra cognitionem, et sensum consideratus, ex physica naturae lege, vique omnibus corporibus indita, se perficere, et servare conatur. Lex corporibus quibuscumque omnis vitae expertibus communis, melius quidem in vegetantibus observatur, perfectius in sentientibus, perfectissime tandem in cogitantibus.

In qualem et quantam status perfectionem ex seminibus, seu ovis paulatim se se explicando, evolvendo, crescendo deveniunt plantarum, brutorum, humanumque corpus? Si perfectionis statum mutant, et tandem destruuntur; id tantummodo consequentia, et effectus est constantis vicissitudinis rerum, quae alia est et universalior naturae lex. Viribus physicis et mechanicis adduntur in bestiis quidem

instinctus, et sensus, in hominibus vero instinctus, sensus, ratio. Homo igitur triplici hoc, seu quadruplici modo, atque actionum genere vivit. Quocumque ex his modis agamus, bonum semper quaerimus, naturali quadam necessitate ducti secundum ordinem Providentiae. Rem ita statuendo non tollimus in homine libertatem. Hanc enimvero neque motibus mechanicis, neque instinctui, neque sensui, rationis usum praecedenti, neque rationi ipsi, seu voluntati, bonum generale probanti et volenti, convenire, res est per se manifesta. Tum vero excitatur humana libertas, cum peculiaribus bonis, physica, rationalia, moralia, vera, apparentia, praesentia, futura, possessa, aut praevisa eligimus aliaque aliis praefereamus.

Homo igitur per naturam suam, et secundum ordinem Providentiae se se necessario amat. Potestne homo se ipsum odio habere, et id quaerere, quod actu, et in praesentibus rerum circumstantiis proprium et purum existimat malum? Id ergo est a natura; quam mutare non possumus. Innatus hic et naturalis amor in sensu hucusque explicato rationem, et animadversiones nostras praecedit, illas comitatur, in liberas quascumque electiones palam, aut latenter velut per cuniculos influit. Agendo, nos semper respicimus: eoque motivo ducimur, quod in praesentibus actionis circumstantiis aliqua ratione prae oppositis probatur, et placet. Hic vero secundum beneplacitum agendi modus, quid tandem est, nisi sibi in praesentibus circumstantiis satisfacere, bonum proprium prosequi, se se amare, amoreque sui agendo duci?

Ponatur parumper, homines se se unumquemque non amare, amore sui non duci, in bonum, et felicitatem propriam non respicere. Quanta enim vero in huiusmodi hypothesis humanarum rerum mu-

ratio ! Societatesne , aut familiae ; ullane virtus , lex naturalis , humana vita esse possent ? Amor igitur sui est homini naturalis , innatus , necessarius , bonus , ab auctore naturae inditus , primumque est universale agendi principium in homine . Neque enim alterius principii in homine existentis effectus existit , neque ulla est humana , physicave hominis actio ab hoc principio ratione aliqua non derivans . Eo amore sublato , quid voluntatem ad agendum alliceret ? Amor igitur ad agendum excitat , ratio vero dirigit . Malum morale , quod saepe specie boni amplectimur , est error calculi , aut inconsulta amoris sui sententia . Homo objecta librando , calculum subducit . Saepe tamen ratione male consulta , aut non audita , speciem et phantasma boni prosequimur , quin latens attendamus malum .

Deus igitur innata nobis esse voluit duo agendi principia , amorem sui principium actionis , rationem vero principium directionis . Si utrumque , si eorum etiam alterum deficeret ; omnes actiones morales deficerent ; nihil amplius esset in homine morale . Bonum est quidem objectum voluntatis ; nos tamen non trahit , nisi in ejus prosecutione aliquo tandem modo nobis complaceamus .

Praeterea passiones universim idem plane sunt , atque intensissimi affectus voluntatis , aut sensuum circa objecta per se honesta , aut jucunda , sensui grata vel ingrata . Priorum affectuum , qui cum virtutibus inferius exponendis confunduntur , haec summa est , scopus et objectum , bonum morale amando prosequi , malum odio avertere . Posteriori vero affectuum ordine sensuum oblectamenta , et eam , quam in iis male constituimus , animi jucunditatem , et humanam felicitatem , quaerimus . Dum verum bonum morale amamus , et prosequimur , malum similiter odio habemus et fugimus : dum circa bona

et mala sensibilia, vera, aut apparentia simili modo agimus; passionesque ad objecta hujusmodi prosequenda, fugienda excitantes fovemus, intendimus, servamus; quid tandem agimus, quod amoris sui effectus non sit, atque consequentia? Non modo virtutibus moralibus, earumque exercitio, et actibus nosmetipsos semper respicimus, bona animi comparamus, meliores, felicioresque esse quaerimus; sed vitiis etiam ipsis, turpibusque passionibus, earumque usu et actionibus per fas et nefas, per obscuras, praecipitesque vias, genio, sensibusque satisfacere adnitimur suaviusque, et magis contenti vivere inhiamus. Omnia igitur haec amoris sui, bene vel male sibi consulentis, prudenter aut imprudenter agentis, pura sunt consequentia. Dum ita philosophamur juxta notissimam philosophandi regulam causae existenti et sufficienti effectum tribuimus verum, et causae ipsi proportionatum.

Summa rei est: Passiones universim sunt vividae profundaeque sensus, aut animi affectiones, et ardor ille quaerendi et faciendi, quorum fruitione contentos, meliorisve conditionis nos fore existimamus: activi scilicet modi quaerendi voluptatem, et dolorem animi aut sensus vitandi. At si voluptatem amare, et quaerere, dolorem fugere, vivacesque modos illam quaerendi, hanc evitandi, si, inquam, haec amorem sui non dicamus, aut amoris sui consequentiam; notam nominum significationem mutamus.

Quomodo tamen haec, inquires, cum communi hominum experientia componere? Quis enim est, qui proprias passiones, omnesque rerum ideas a sensibus derivari, per sensus acquiri non animadvertat? En communem idearum, passionum, humanarumque actionum fontem, perperam a nobis in innato amore sui repositum. Respondeo: quidquid

pro sensibus statuat Helvetius, Rosseau sibi ipsi contrarius, et alii, constant tamen sequentia: 1. Omnes ideas esse a sensu, res est hactenus non probata, ut superius et in metaphysicis demonstravimus; effectus idcirco certi incertam causam statuunt. 2. Actiones humanas universim esse ab amore sui, eumque amorem homini innatum existere, et humanarum actionum esse rationem sufficientem, citati Scriptores fatentur. 3. Passionum progressum, augmentum, durationem, vivacitatem esse etiam secundum Rosseau a ratione et voluntate; hoc est, ab amore sui aliis verbis significato. 4. Si non esset sensus, ratio, voluntas, non evolveretur, neque ageret amor sui, quantumvis homini innatus. Quia homo se necessario amat, percepta sensuum delectatione, aut suavi voluntatis inclinatione, ad ulterius sensus et voluntatis delectamentum, hoc est, ad passiones excitandum, intendendum, earumque actus eliciendum deliberat. Si non esset sensus, imaginatio, cognitio, deessent etiam passiones: hoc tamen conditionis rationem ostendit, non vero causae. Posito etiam sensu, imaginatione, cognitione, si se non amaret homo, et animi jucunditatem ardentius non desideraret, neque ad agendum incitaretur, neque contraheret passiones. Etsi tamen parumper darem, primam nostrarum idearum et perceptionum originem, seu potius occasionem existere sensum; recte ne inde deduceres, sensum nostrarum omnium actionum esse principium, et causam activam? Sensus proprie est passiva perceptio: quaeritur activa causa actionum. Maxima pars honestarum actionum sensibus opponuntur: est ne sensus causa actionum sensui ipsi oppositarum?

Rem etiam confirmat naturalis illa humanorum affectum et passionum in homine evolutio, gradatio, et modus, quo ab objecto ad objectum, a voluptate ad voluptatem gradum facimus.

*Evolutio analytica passionum ex amore sui,  
seu amoris sui per passiones: quid in  
illas possit temperamentum,  
educatio, Leges.*

**H**umanæ passiones, neque omnes simul, neque pari activitate in homine excitantur: sed eo plane ordine, eaque temporis successione evolvuntur, qua corporis membra, sensuumque organa se se explicantur, et confirmantur, horum functiones perficiuntur, imaginationis, intellectus, animique vires, et indoles gradatim exeruntur: quoniam ex innata sua indole se se necessario amat homo, et ad bene, suaviter vivendum acriter urgetur, quaecumque ad id obtinendum detur via; hinc eomet ordine, quo corporis organis se se perficientibus externa objecta in nos incurrunt, atque instinctu, sensu, imaginatione, et cognitione percipimus, percipiendoque vel suaviter animo delectamur, vel moleste dolemus; eodem inquam ordine (caeteris aliunde paribus) ad bona et vitæ oblectamenta quaerendum sponte et acriter urgemur: eadem objecta et sensus repetimus, imaginatione, mente, et voluntate volvimus, imaginandi autem, et cogitandi continuatione, et usu eam contrahimus animi propensionem, ea acuimus desideria, quae passiones dicuntur, et existunt. En quo pacto non modo humanæ omnes actiones, sed affectus etiam, passiones, vivae profundaeque affectiones et desideria ex amore sui derivantur.

Quoniam vivere est agere; eadem est vitæ, atque nostrarum actionum evolutio et veluti circulus. A pura vegetatione incipimus; quam sequuntur naturales perfectioresque motus, quibus humana ma-

china ex ipsiusmet genio explicatur, nutritur, crescit, perficitur. Instinctus deinde et sensus succedunt, quibus tandem ultima supervenit tarda ratio. In singulis hisce statibus et vitae gradibus ad sui perfectionem contendit homo: in primo quidem ex sola lege physica, vegetantibus caeteris communi, se se conservare et ad perfectiorem statum pervenire adnititur. In secundo non modo conservari, et physice perfici, verum etiam sentire, instinctuque et sensibus novo jam et superiori vitae gradu perfrui, et delectari. In tertio tandem, supposita jam machinae perfectione et evolutione, sensu, ratione, voluntate vivitur. Prior status universalis naturae legis beneficium est et consequentia. In secundo bonum proprium, utcumque apprehensum, a sentientis animae energia perceptum quaeritur, et se se jam respicit homo. In tertio tandem statu, rem totam complectente, et quem solum impraesentiarum consideramus, instinctu, sensu aut ratione agitur. Sensu gaudium et dolor, ratione approbatio, persuasio, inclinatio animi paritur. Sensus et ratio per totam fere vitam comites, saepissime sibi mutuo sunt hostes. Sensem saepe alliciunt, et trahunt, quae merito improbat ratio: probat vero atque suadet, quod sensus magnopere abhorret. Dum sensus et ratio aeternum fere inter se et intra nos luctantur, alterna ut plurimum fit vincendi, succumbendique vicissitudo. Cum idem probant aut avversantur objectum, tum vero minor est agendi difficultas, decrescitque decrescente difficultate meritum. Cum in diversas trahunt partes, oblectamento allicit sensus, veritate et honestate ratio. Tum vero sensu in passiones turpes et vitia, ratione autem in passiones honestas et virtutes flectimur. Homo interim amore sui semper incitatus, ex illoque agens, prioribus illis sensuum passionibus facienda, vitan-



da experiens, ab aliis ad alias, ab objectis ad objecta deflectens, omnibus consequenter decursis, probatis, transmissis, vetera fastidians, nova desiderans, vivendi jucunditate et felicitate ubique quaesita, nullibi inventa, sibi fere invisus scenam tandem et rhumbum, aliamque viam aggreditur, qua ad felicitatem, immotum semper amoris sui scopum, perveniatur. Froenatis propterea vitiosis sensuum irritamentis, et compresso fervore, frigida tandem, et tarda, sed clara ratio consulitur, auditur, approbatur. Hujus dictamina ad felicitatem recta ducentia tumultuosis sensuum aculeis praeferuntur.

Haec passionum evolutio ita generatim, et summis labiis indicata, cum sit ipsiusmet naturae opus, secundum naturalium etiam rerum, et objectorum necessitatem peragitur. Passionum divisio in naturales et artificiales superius data in earum evolutione etiam observatur. Quaedam enim vero objecta sunt *primae necessitatis* vulgo dicta; alia vero *secundae necessitatis*. In prima sponte sua, instinctuque, sensu, ratione nos ducit natura: cum iis rebus privati vivere non possint homines. Et haec quidem status naturalis hominum sunt propria: aliae vero status artificiales, hoc est humanas societates, earumque appendices, et consequentias spectant: iisque positae quadam etiam necessitate nascuntur. Idem vero ipse est evolutionis passionum, atque necessitatis ordo. Prius quae hominibus, postea quae civibus, civiumque statibus opus sunt, natura duce prosequimur, contraria omnia vitamus.

Pressius ad rem nostram: quidquid sensum, aut voluntatem afficit ad voluptatem aut molestiam, ad gaudium aut dolorem redigitur. Haec sunt nostrorum sensus et voluntatis actuum summa. Amoris autem sui essentialis character et natura est, bonum sui, voluptatem, commodum quaerere, oppo-

sita omnia vitare. Quin imo cum doloris, aut incommodi cujuscumque privatio, ab eaque liberari, animi gaudium secum ferat, et verum existat bonum; duplex illud affectionum, actuumque modus unum eundemque respicit finem, agentis scilicet voluptatem et bonum. Vitare dolorem, seu incommodum, et quaerere commodum, seu voluptatem, est *sese amare*, seu *amor sui*: omnia enim reducuntur ad gaudere, et dolere, gaudium sensus et animi, dolorem sensus et animi. Privatio autem doloris, sensus aut animi est gaudium: illam privationem quaerere, est se amare. Modi igitur omnes vitandi dolorem sensus et animi, seu universa incommoda, modi omnes quaerendi voluptates sensus, aut animi, sunt ab amore sui, seu modificationes amoris sui sensibilis aut rationalis. Passiones autem sunt naturalis amoris sui evolutio, et gradatio. Quid enim vero quaerimus, dum vivo furore intemperantiae, irae, luxuriae, ambitionis, avaritiae, superbiae, desidiae, feritatis, divitiarum, dignitatum, gloriae amore abripimur, nisi nosmetipsos, nisi animo, sensibus satisfacere, praesentia desideria explere, sensu, imaginatione, aut voluntate contentos vivere, aut in praesentibus rerum circumstantiis existere?

Hinc igitur est quod passiones naturales artificialibus in homine praecedant: priusque evolvuntur passiones hominis, quam civis; prius sensuum, quam rationis. Hic enim est naturae ordo, et facultatum hominis gradatio. Et haec quidem generatim ex generali passionum modo atque ratione. Rem tamen ulterius confirmabit peculiaris singularum passionum recensio, notio, earumque inter se connexio, et ordo, aliarum ab aliis deductio. Argumentum quidem, si quod aliud est, magni in morali philosophia momenti.

## §. VI.

*Recensio, et notio singularum passionum,  
earumque character.*

Passionibus atque affectibus excitantur atque impelluntur homines ad voluptatem et bonum quaerenda, sibi que, quomodocumque possint, satisfaciendum. Sibi enim complacent universim homines passionum usu, et actibus. Sibi complacet avarus divitias comparando, prodigus effundendo, gulosus, ebrius, libidinosus, superbus, hisce passionibus morem gerentes. In memoriam revocetur duplex et praecipua earum distinctio superius exposita, in *absolutas et hypotheticas*: in passiones sensuum aut animi, rationi oppositas, ac proinde vitiosas, et in passiones voluntatis, seu animi, rationi conformes, atque propterea virtutes. Passiones *absolutae*, seu status naturae propriae, potissimae sunt appetitio cibi et potus, timor, amor conjunctionis ad propagandam speciem. Primae vero hae sunt, quae natura ipsa duce, instinctu et sensu potissimum evolvuntur: quas tarda tandem sequitur, et probat ratio. De iis tamen hoc adnotasse sufficiat.

Hominibus statum Societatis jam constituentibus, tum vero alius mundus politicus, civilis, moralis, nova objecta, novae ideae, novae relationes: alius statuitur existendi, vivendi, cogitandi modus. Pro multiplicitate atque novitate tot objectorum, idearum, relationum nova in homine germinant desideria, et aversiones, novique modi, et rationes, quibus vel oblectemur sensu, vel sibi complacere animus. Duplex passionum genus ejusmodi factitium statum creant, conservant, ornant, aut deturpant: aliae quidem rationi conformes, imo et rationis opus, virtutes nuncupatae: aliae vero rationi oppositae, vitiosae per se se, aut ad vitia facile decli-

nantes. De virtutibus in tertia Ethicae parte; modo igitur posterius passionum genus prosequamur, quae communiter passionum nomine intelliguntur.

Passionum praecipuae, sensum, animum, utrumque afficientes, sunt intemperantia, libido, luxuria, cupiditas, amor divitiarum, honoris, famae, gloriae, vanitas, jactantia, superbia, impatientia, intolerantia, praesumptio, vanagloria, hypocrisis, pertinacia, ambitio, prodigalitas, avaritia, ira, invidia, inimicitia, odium, malevolentia, malignitas, maleficientia, injustitia, zelotypia, fanaticismus, superstitio. En numerosam, atque antiquissimam humanarum passionum veluti familiam, non modo effectibus, sed quod majus est, suamet antiquitate infamem: contra atque civilibus hominum familiis solemne est, originis antiquitatem in gloriae partem reponentibus. Omnes relatae passiones sunt totidem modi, atque activae explicationes amoris sui inconsulte agentis, atque hominum vitio in amorem proprium transmutati, et sibi quacumque ratione possit satisfacere adnitentis. Rem ad evidentiam probant earundem passionum notiones, naturalis earum connexio, et aliarum ex aliis deductio.

Quid enim vero rei sunt relatae passiones? Intemperantia, quatenus singularis passio, est immoderata superflui cibi atque potus appetitio et usus, oblectamenti causa assumpti. Nomine igitur, objecto, fine gulam, et ebrietatem complectitur; quarum prima cibi et potus non inebriantis, posterior vero inebriantis potus immoderata appetitio et usus existit. Temperantiae idcirco, et duabus hujusce virtutis partibus, abstinentiae nimirum, atque sobrietati, opponitur.

Cupiditas bona aliena, ambitio dignitates respicit, et contra rationem inhiat. Est enim inordinatus amor honoris, dignitatis, potentiae. Quid sit divi-

tiarum, quid existimationis, laudis, famae, gloriae amor, quid etiam ipsae divitiae, unusquisque nostrum est sibi conscius et doctor. Porro *existimatio* est hominum de merito nostro opinio; atque propterea *opinio meriti*: hujusmodi opinio verbis palam significata *laus* nuncupatur: aliis actibus externis opinionem illam significantibus expressa, *honor*: ejusdem opinionis in absentes divulgatio, *fama*. Gloria tandem est consentiens laus recte judicantium. Cum haec omnia per se se bona existant, eorum amor rationi, atque veritati innixus, commendandus potius, quam vitiosis passionibus adnumerandus. Contra vero si praeter meritum, modum, rationem illa appetimus, et studiose prosequimur.

Contraria iis respondent *despectus*, *vituperium*, *dedecus*, *nominis obscuritas*, *infamia*: et haec quidem sunt aliorum hominum de nostro merito opiniones. Quod si nostra de nobismetipsis judicia perpendamus, *vanitate*, *jactantia*, *superbia* plerumque ducimur. Vanitas est quidam animi tumor, atque elatio, merito proprio major, seu inanis sui ipsius existimatio. In jactantiam degenerat, si meritum ostentes, tuimet ipsius praedicator. Est enim *jactantia* inanis de se ipso praedicatio. Superbia duplicis hujusce passionis commune caput et radix, est immoderata sui existimatio, cum aliorum despectu: seu elatio animi se se aliis immerito praeferentis.

*Impatientia* est ardens tristitia, ob impedimentum voluptatis. *Intolerantia*, impatientiae admodum affinis, duplici sensu accipitur. Alia quidem opinionum, alia vero rerum et actionum: definirique possunt opinionum, aut actionum tyrannides: praepotens scilicet studium opiniones, actionesque hominum ad proprium sensum, et voluntatem compellendi.

Se etiam quaerunt homines, divitias studiosius

quam par est servando, aut expendendo: primum avari, secundum prodigorum est character. Prodigalitas est imprudens bonorum profusio erga se vel alios. In prodigo igitur desiderantur prudentia, praevisio, discretio. Opponitur oeconomiae inter virtutes, illiberalitati, et avaritiae inter vitia. *Avaritia* est ardens divitias acquirendi amor, ad thesaurizandum potius, quam ad fruendum. Si enim divitias ardentem ames, acquisitas tamen expendas, atque fruaris, nequaquam notaberis avarus. Amor igitur divitiarum per se non est avaritia. In avari animo lateret vitiosa et nimia diffidentia de futuro, et nimia etiam cautela contra possibles fortunae vicissitudines. Avaritia igitur est error calculi, aut erroris consequentia: fruitio bonorum certa et praesens possibili, atque propterea incertae, imprudenter postponitur; possessio nimirum et fruitio certa et praesens, possibili atque incertae praevisioni.

Illiberalitas dici quodammodo potest *moderata avaritia*: atque ex liberalitatis notione, cui plane est opposita, facile definitur, indecora animi tenacitas in rebus etiam nullius momenti servandis, utendis, donandis, a ratione et hominis statu aliena. Contra vero liberalitas est decora animi largitas in rebus servandis, utendis, donandis, rationi conformis.

Oeconomia tandem, definitis modo passionibus, et vitiis opposita, eorumque ratione ad uberiores argumenti explicationem hoc loco incidenter attingenda, est rationabilis bonorum conservatio, et usus ad cavenda sortis discrimina. Oeconomi igitur character est, praesentem rerum usum cum futuri praevisione componere.

*Zelotypia* est ardens privativae fruitionis desiderium. Se se adeo respicit, qui huiusmodi passione laborat, ut nullum omnino sui boni participem esse velit, aut patiatur.

Inter vitiosas etiam passiones locum habent fanaticismus, atque superstitio. Utriusque naturam, causam, et multiplicem divisionem, effectus, remedium luculenter inferius prosequemur. Interim tamen exempli causa nonnihil de utriusque specie Religionem spectante obiter attingendum. Ardenti saepe zelo aestuant, et agitantur homines: dumque huiusmodi furore aguntur, bene de Deo, aut hominibus mereri existimant, cum nullo rerum discrimine dicenda, tacenda committunt. Inutilia saepe utilibus, noxia innoxiiis confundunt; media indiscriminatim adhibent: quidquid contra ardentem illum, atque obscurum mentis furorem clamet ratio. Quod si, uti saepissime fit, huiusmodi ardore agitentur homines creduli aequae, atque ignorantes et timidi; tum vero vanissima quaeque et inutilia scrupulose perpetrant, quibus bene se de Deo, atque religione mereri existimant. Qui huiusmodi passionibus agitantur, sibi, religioni, aliisque inutiles sunt, atque noxii. Zelum atque pietatem, ratione et prudentia ductam, non satis in hominibus commendes. Si obscuretur ratio, et intendatur internus zeli et timidae pietatis ardor; tum vero zelus in fanaticismum degenerat, pietas in superstitionem. *Fanaticismus* igitur dici potest *phrenesia zeli*: superstitio vero *delirium pietatis*. Priori modo laborant characteres violenti, posteriori vero debiles. A fanaticismo, atque superstitione non admodum distat Hypocrisis, quae est = affectata desideratae virtutis apparentia. = Tot idcirco sunt virtutes, seu perfectiones, aut ornamenta corporis et animae, quot hypocrisis species esse possunt. Alia est sanctitatis, alia litteraria, aut scientifica hypocrisis. Ambitionis nomine significatur, honorum atque dignitatum pruritus; qui ut *fama crescit eundo*, ascendendo semper intenditur: vacuam mentem nunquam adimplente mundanarum

rerum vanitate . Vanagloria merito definiri potest ,  
 = de rebus suis minimis microscopica aestimatio . =  
 Liceat novo fallacis instrumenti vocabulo , fallacem  
 et antiquam meriti vacuitatem exponere . Hypocri-  
 ta suimet conscius , aliis imponere adnititur mali-  
 tiose mendax : ambitioso superiora semper respicienti  
*haeret semper lateri lethalis harundo* . Vanagloriosi  
 character est , vivere suomet errore et fatuitate con-  
 tentum . *Ira brevis furor est* , eleganter et vere di-  
 cit Horatius . Iracundia vero indoles ad irascendum  
 proclivis . Ira igitur est violenta Vesuvii eruptio : i-  
 racundia vero internum in Vesuvio pabulum inflam-  
 mationi semper paratum . Qui majora , quam ha-  
 beat , aut possit , sibi tribuit et audet , praesumptio-  
 ne laborat : pertinacia , si in errore facile noto te-  
 naciter , perseverat . Sed de his modo satis . Defi-  
 nitas hucusque passiones , atque vitia , aliae etiam  
 comitantur , atque animum inficiunt : hujusmodi sunt  
 inimicitia , seu odium , malevolentia , malignitas , ma-  
 leficientia , injustitia .

Ex dictis nullo negotio statuitur singularum pas-  
 sionum character , objecta , effectus , et communis  
 earum finis . Quin immo contraria ex contrariis , vir-  
 tutes ex passionibus , vitiosisque passionum usi-  
 bus , et experimento edocentur , et demonstrantur .  
 Utraeque praeterea , in propria quaeque divisione ,  
 non modo commune habent principium , sed natu-  
 ralem etiam inter se habent evolutionis , intensio-  
 nis , et remissionis ordinem : argumentum penitiori discus-  
 sione dignum .



## §. VII.

*Naturalis passionum ordo, aliarumque ex aliis evolutio, atque connexio.*

**H**omo se vehementer, et semper amans, quod sibi est, aut esse apparet bonum, suavi necessitate quaerit. Sensus autem et ratio, seu voluntas duo sunt modi, quibus objecta sentit, percipit, illaque sentiendo trahitur, aut retrahitur, percipiendo vero probat, aut reprobat. Trahitur autem, probat, et amplectitur, quod sensui, aut animo, seu rationi placet, et ex quo sensibilem, aut spiritualem voluptatem, et animi jucunditatem percipit: quae quidem esse potest praesens, aut praevisionis, relativa, aut absoluta, simplex, aut composita. Contra vero retrahitur, reprobat, et rejicit, quod sensui, aut rationi, aut utrique displicet: ex quo praesenti, aut praeviso sensibilem, aut spiritualem dolorem sentit et percipit. Id enim vero est se amare, dolorem fugere, bene et contentum esse quaerere. In his duobus, quae in unum tantum reducuntur, toti sumus, quoad vivimus, de eo etiam in statu futuro merito solliciti: ut dolorem evitemus, et quod desideramus bonum, seu voluptatem assequamur. Contraria saepe obstant impedimenta; sunt etiam media ad id rei conducentia, Amoris vero sui est, de illis contristari, et tollere, de his vero laetari et ponere. Rem utramque posse commune est, et primum hominum desiderium, et *amoris sui* scopus. Potentia igitur seu facultas bonum et voluptatem obtinendi, obstacula tollendo, media ponendo, primum illud est, quo nostra collineant vota. Prima et universalis hominum passio et desiderium est amor potentiae; illius inquam potentiae physicae aut moralis, civilis aut politicae, qua pecu-

liaria deinde hominis desideria et passiones *expleri*,  
 et satisfieri possint.

Ex innato hujusmodi desiderio, primo *amoris sui* effectu, seu explicatione, si contraria opponantur obstacula, consequitur tristitia, ira, odium, peculiares odii gradus, malevolentia nimirum, malignitas, maleficientia, vindicta. Alia ex aliis gradatim consequuntur. Fac enim vero, ut obstaculo interposito, male vertant desiderata negotia: tum vero tristitia. Addatur obstaculo offensio: en ira, qua ad breve tempus aestuamus. Si vero duret offendens impedimentum, aut molesta offensionis consequentia; ira paululum de furore suo remittens fit odium, aut inimicitia, multiplexque inimicitiae gradus, malevolentia scilicet, seu malignitas, maledicentia, maleficientia, quae tandem vindictam post se trahunt; quod dum maligna quaeritur voluptas, odiosum propriae felicitatis obstaculum e medio tollitur.

Rursus ex eodem trunco alia passionum genealogia, et desideriorum ordo consequitur, quorum objecta et vincere possint obstacula, et media ad felicitatem existant. Hinc primo est divitiarum amor, quo nomine aut bona materialia, aut illarum signa repraesentantia, aurum scilicet et argentum, gemmas, significo. His enim omnia vulgo obtinentur, in quae nos trahunt humana desideria. Ex amore sui, male consulto, post comparatas divitias sunt avaritia, illiberalitas, luxus, prodigalitas. Iis comparantur amici, dignitates, honor, gratia Principum, honores, tituli, hominum clientela; tot scilicet aut passionum objecta, aut media ad voluptates, ad omne libidinum genus, ad animi jucunditatem communi errore ducentia. Mirum vero esset, si haec in Animum non inducerent vanitatem, superbiam, jactantiam, aliorum despectum, impatientiam, intolerantiam, cordis duritiem. Quorsum etiam tendit

et collineat vehemens artium, et scientiarum ardor? Studendo, meditando, scribendo te ipsum respicis. Panis, nomen, laudes, hominum aestimatio, inania enim vero felicitatis simulacra, tamquam tutelaria numina lectione, calamo, atramento coluntur. Saepissime etiam otiositas, commune illud laborantium desiderium, otiosorum odium, fugitur: improboque labore, intolerabilis illa otiosorum teredo, evitatur nausea.

Avarus se se in futurum tempus, prodigus in praesens tantum respicit: eodemque collineant servatae, atque effusae divitiae. Caetera omnia ex divitiarum passione derivantia indicasse satis: ea enim omnia totidem amoris diversa vocabula, et dictionarium existunt: multiplicia, diversa ejusdem objecti nomina. Quid quod si eodem ducat divitiarum despectus? Ita vero res est. Per quas sane viarum ambages, quot oppositis ventis et rhumbis in eundem navigatur portum, et nosmet semper quaerimus? Divitiarum fastus alio fastu contemnitur. Quaenam praeterea secum non trahunt divitiae curas, sollicitudines, lites, inimicitias, hominum invidiam, pericula? Nihil ergo est, ab hisce omnibus immunem vivere, se se pluris omnibus facere, hominesque caeteros ex alto quasi despiceret, et miseratione prosequi, propterea quod terrenis hisce rebus inebriati spirituum more non cogitent, loquantur, vivant?

At si Religionis causa, et Evangelicae perfectionis ratione divitias contemnens, inquires, me etiam ita agendo respicio? Maxime, respondeo, cui enim dicta est Evangelica illa veritas *et centuplum accipies, et vitam aeternam possidebis: merces vestra magna est in coelis: nolite thesaurizare in Terris, sed thesaurizare vobis in coelo, ubi &c.*

En igitur naturalis passionum ordo, aliarumque ex aliis, omnium vero ex amore sui evolutio, et ex-

plicatio. Passiones universae, illarum que agendi modi sunt purus putus *Amor sui*, diversis nominibus significatus, mutatis vestibus latens, rem tamen suam semper agens. Quaecumque enim passione agas, te respicis; praesentem animi aut sensus voluptatem, et quod interea temporis placet tantummodo quaerere: hoc est, bonum utcumque bonum, verum scilicet aut apparens, praesens, aut existens, aut praevisionis quaerere. Quamdiu enim sola passione agitur, non quod deceat, aut ratione probetur, scrupulose attenditur: sed quod tum temporis placet, delectat, praesentique animi genio facturum satis existimatur.

Si res ita est, inquires, si passiones universae sunt *amoris sui* purae modificationes; unde tanta earum in singulis hominibus et nationibus diversitas? Si amor sui est a natura, si haec in omnibus hominibus eadem existit; unde in diversis ejusdem vitae temporibus, variis hominibus, atque hominum classibus, seu professionibus, in aliis, et aliis hominibus, atque nationibus tanta passionum varietas? Diversone modo se amant homines? Est ne aliqua amoris sui gradatio, mutatio, inaequalitas, vicissitudo? Quaestio in illas causas nos deducit, unde constans semper atque naturalis *amor sui* modificatus, aliasque et alias accipit formas: in clima scilicet, temperamentum, educationem.

#### §. VIII.

*Influxus temperamenti, et climatis in humanas passiones atque mores.*

**H**omines amore sui innato, atque necessario semper, et ubique ducti, eoque veluti aculeo ad bonum quaerendum, et fruendum excitati, diversis climatibus vivunt, vario temperamento sunt praedi-

ti, alii alia educatione, lege, religione diriguntur. En triplicem modificationis causam, unde generale actionum, et passionum principium multipliciter in hominibus modificatur, mirumque in hominibus et nationibus passionum discrimen generat. Posteriori causa in sequens caput transmissa, priores duas in unam recidentem, experientia et physica totius rei analysi modo confirmemus. Physica climatum differentia notabile physicarum qualitatum discrimen secum fert, potissimum caloris et frigoris, humiditatis, et siccitatis, salutaris, aut insalubris aeris: atque in hujusmodi varietatibus consistit. Temperamenti etiam humani corporis nomine intelligitur imprimis fibrarum sensibilibus subtilitas, crassities, tenuitas, durities, mollities, elasticitas, flexibilitas; humores vero, et potissimum sanguis copiosus, ardens, subtilis, crassus, celer, aut tardus, electricus, phlogisticus. Quot sane esse, et concipi possunt hujusmodi qualitatum, earumque graduum combinationes?

Jam vero hominem ab ebulliente pueritia ad extremam usque et frigidissimam senectutem parumper meditare. Quantae in uno eodemque homine intra ejus vitae curriculum in relatis humorum, fibrarumque qualitibus, in corporis scilicet temperamento mutationes? Quantum inter fervidam, alacrem, audacem, impavidam juventutem, et frigidam, debilem, timidam ejusdem hominis senectutem discrimen? At aequis fere passibus hujusmodi temperamentum, atque passiones, earumve gradus, et vires mutantur, intenduntur, remittuntur: nisi educatio, leges, consuetudo, et confirmata voluntas temperamenti vires suppleat. Eaedemne sunt pueritiae, juventutis, confirmatae aetatis, morosae vero senectutis passiones? Physicae hujusmodi, atque continuatae passionum modificationis, et mutationis phy-

sica in homine ipso debet esse causa. Quaenam autem haec, nisi consequentes humorum, fibrarumque modificationes, relatis passionum modificationibus respondentes?

Quanta etiam sensuum, et affectuum in mente et animo non patimur discrimina, dum in eodem climate aliae sunt anni tempestates, alii venti, alii atmosphaerae status; aliaque et alia corporis valetudine fruimur? Dum gelu riget corpus, torpet sanguis, fibraeque frigore durescunt, alia longe est nostrorum sensuum hebetudo, alia appetimus, agimus, atque dum vere primo, claro die, sereno aere, moderato calore ignescimus, et omnes intenduntur, et explicantur humani corporis characteres. Quod si te ipsum sanum, hilarem, robustum tecum ipso infirmo, languido, atra bili presso conferas; eundem hominem non deprehendes, et te in secundo statu desiderabis. Unde vero haec tui a te ipso, passionum a passionibus discrimen? Ab animae, ab ideis, ab educatione, quae immutata manent, an ab humorum, spirituum animalium, fibrarumque variabili statu, et mutationum vicissitudine? Si brevis haec temperamenti crisis hominem a se ipso adeo distinguit: quid si fieret constans et per totam vitam duraret? Hoc autem postremum est climatis casus.

Vegetabilia atque animantia ejusdem speciei in diversis climatibus plantata, et viventia adeo degenerant, ut alterius naturae, indolis, et speciei esse videantur. Si tanta in plantarum, animaliumque genio fit mutatio ex climatum diversitate; paria quoque in humano corpore, sanguine, spiritibus animalibus, fibris, et sensuum organis fient. Ex hisce vero maxime pendent sensationes, ideae, appetitiones voluntatis, hoc est humanae passionis. Ebulliat in venis et arteriis sanguis copiosus, subtilis, et electricus; elasticas et subtiles musculorum fibras irri-

gent et irritent spiritus animales, cutemque tandem intertextat infinitus capillarium tenerorum nervorum *plexus*. Contraria omnia in alio concipe. Quanta in utroque homine, sensus, animi indolis diversitas atque discrimen? Prior quidem delicatissimis sensibus praeditus, dolori, atque voluptati maxime sensibilis, vehementibus passionibus, desideriis, aversionibus agitabitur. Intemperans, pronus ad iram, ad odium, ad vindictam, ad Venerem otii et quieris impatiens, nihil non aggredietur, imaginationis vivacitate ductus. Contraria omnia ex contrariis humani corporis, humorum, fibrarumque affectionibus et indole consequuntur. Haec vero omnia esse climatum effectus, physica rei analysis demonstrat.

Extrema climata secum ipsis comparemus. Acri frigore constringuntur imprimis epidermis, et cutis vasa et pori: partibusque ad partes adstrictis, externa cutis magis indurescit, fitque aliquantulum callosa, et stupidioris sensus organum. Consequens inde est, ut hebetiores sint eorum hominum sensus, acrioribusque irritamentis opus habeant, ut minus per transpirationem deperdant, retentique proinde alimenti particulis ad nutritionem inservientibus, pinguiora, majoraque evadant eorum corpora; et tandem, pluribus aliis omissis, ut copiosiori sanguinis, nutritiarumque partium refluxu a cute undequaque versus cor, totius circulationis centrum, vegetiores fortioresque fiant cordis et caeterorum musculorum fibrae. Ex physica hac corporum constitutione in climatis naturam penitus referenda, sponte consequitur huiusmodi homines languidiori sensu praeditos, grandioribus objectis, acrioribusque stimulis ad voluptatis, aut doloris sensum percipiendum opus habere: delicatioribus voluptatibus parum commoveri, et tangi, venationem, arma, pericula, vinum amare, apta enim vero hebetiorum sensuum irritamen-

ta: laborum, molestiarum, incommodorumque patientes, ad iram, odium, vindictamque concipiendum difficiles, conceptarum tamen esse tenaces. Haec et alia impraesentiarum omissa, quae passiones existunt, aut passionum excitamenta, a physica illa hominum constitutione pendent, constitutio vero a climate.

Rem totam confirmat experientia. Quem modo adumbravimus nationum characterem in durioribus Europae climatibus observamus. Duriora cum dixi, durissima Lapponiae, Samoidiae, Groenlandiae, et parva alia ad polum climata non intelligo: in quibus acerrimum frigus annum fere integrum tenens, durissima vivendi ratio, necessaria pauca ad vivendum, commoda nulla, neque corporis membra, neque sensuum organa explicari, neque animae functiones peragi satis permittunt. Dum tamen ita in corpore agit durissimum clima, illorum etiam hominum passiones modificat.

At homines inquit *Helvetius* (a) sine ideis, sine passionibus, sine characterem nascimur. Superbia, avaritia, ambitio, amor gloriae, et divitiarum, passiones sunt factitiae neque in cunis, neque a natura originem habent; sed humanarum Societatum opus sunt. Essent homini extra omnem societatem nato, educato, viventi, res penitus ignotae. Nostrae igitur passiones, et character non a natura, hoc est, fibrarum indole, temperamento, climate; sed ab educatione tantummodo proveniunt. Ab educatione enim legibus, vivendi consuetudine, vitia, virtutes, characteres hominum derivari, nemo inficiatur. Quid autem educatio, si character est a natura? Moralesne causae, et rationis dictamina naturam rerum mutant, corrigunt? Auditum ne sur-

---

(a) De l'homme Section. IV. chap. 1.



dis restituunt, gibbosi hominis dorsum complanant, claudi femur extendunt, iisne tandem pygmaei corpus grandescit?

Respondeo: Tota haec argumentorum complexio auctorem, atque opus sapiunt, ex quo illa fere ad verbum translata transcribo, librum scilicet a capite ad calcem aeterno sophismate laborantem. Sine ideis nascimur: esto, metaphysicam quaestionem non moveamus: sine passionibus etiam, et sine caractere: admitto id etiam, si de passionibus proprie dictis, et caractere jam explicato loquamur. Haec enim ideas, desideria, virtutes, vitia supponunt et complectuntur. Non sunt ergo a natura, a temperamento, a climate? Quasi natura, temperamentum, clima omnia, quae possunt, in cunis illico efficiant. Sunt quidem haec a natura, temperamento, climate: sed paulatim, tempore procedente, et pro circumstantiarum opportunitate ab his causis producenda. Quasi etiam maturi fructus, proceritas plantarum non esset a natura, genio plantae, et climate, propterea quod in plantae ortu non existant. Factitiae sunt et vocantur relatae passionnes, quod factitium hominum statum supponant. Sed posito illo statu, a natura ipsa et amore sui consequuntur, a temperamento et climate modificantur, intenduntur, remittunt. Per Helvetium ipsum praedictae passionnes in statu naturae non existerent, in quo nihilominus homines se amarent, essentque sensibiles. Sensibilitas igitur, quae naturalis est homini, et passionum principium ab Helvetio statuitur, passionnes non in naturae, sed in factitiis statibus produceret, quod in statu naturae locum non habet. Esse patrem, filium, consanguineum, affinem, et hujusmodi aliae relationes, sunt proculdubio factitii hominis status; natura tamen duce, auctore, causa constituuntur: homineque in iis a-

liisque societatis statibus existente, novae idae, novae relationes, novum vitae genus sponte sua, atque ex naturali hominis indole comparantur. Natura igitur hominis in factitiis statibus constituta, aliisque et aliis ideis, et naturalibus relationibus aucta, temperamenti et climatis viribus admodum modificata, novas generat passiones in puro naturae statu incognitas.

Quod ultimo loco additur nullius ponderis est, neque ad rem facit. Temperamentum et clima non sunt causae morales, sed physicae: physicis proinde effectibus proportionatae. Quid quod causis etiam moralibus, ratione, religione, legibus, consuetudine vivimus, desuetudine, contrariisque actibus modificamur, et infringimur. Id quod ad educationem, alterum passionum nostrarum fontem, considerandam nos deducit.

#### §. IX.

#### *Influxus educationis, legum, consuetudinis in passiones, et mores.*

**E**ducatio, argumentum, si quod aliud, maximi ponderis, et nunquam satis pro dignitate tractandum, attenta nominis etymologia et significatione, est edoctio seu eductio, et extractio hominis a statu purae naturae ad statum rationalem, moralem, civilem. Sicut artifex ex rudi informique ligno statuam educit; ita longa institutionum series, qua humanum animas rude, et rerum omnium ignarum, ad esse hominis rationalis, religiosi, civilis educitur, educatio nuncupatur. Naturae munus est humanum corpus formare, et una cum spirituali anima a Deo corpori infusa in lucem edere: educationis vero animatam illam machinam imbecillem, sentiendi, cogitandi, agendarum, sciendarumque rerum penitus i-

gnaram, et tum temporis incapacem, actione, exemplo, praeceptis informare, hominemque de naturae, religionis, et civis officiis, de artis praeceptis, scientiaeque doctrina instruere. Est igitur educatio *institutio hominis*, qua scilicet informatur spiritus, atque vivere, cogitare, velle, agere edocemur.

In educatione distinguuntur subjectum, materia, finis, initium, terminus, modus, praeceptor, et multiplex divisio. Subjectum est homo a statu naturae et perfectae ignorantiae paulatim docendo removendus. Materia seu objectum latissime patet, omniaque complectitur, quae homo gestu, et imitatione, audiendo, legendo, cogitando doceri potest. Et hoc quidem dici potest objectum educationis philosophicae. Vulgaris vero, praeter artes ad vitam civilem necessarias, officia hominis, ejusque status, artis aut scientiae disciplinam complectitur, cui speciatim addicitur. Finis educatione quaesitus est, animal humanum efficere hominem, civem honestum, arte aut scientia doctum. Educationis epocha est ipsa natiuitas, terminus vero idem est atque vitae. Vix enim in lucem edimur, schola sensuum incipit, idearum crepuscula, si ita loqui fas est, sensu, materna voce, et gestu comparantur. Quamdiu vero vivimus, aut nova semper legendo, audiendo, experiendo docemur, aut doceri possumus.

Quod modum, rem, et praeceptorem attinet, multiplex distinguitur educationis species et ratio. Cum tot sint educationis, instruendi, et docendi modi; educari possumus naturae genio, gestu, voce, exemplo, imitatione, legendo, meditando. Alia est privata, alia publica et communis: alia est familiae intra domesticos parietes; alia in collegiis; alia etiam et communissima usu, et consuetudine vitae civilis in societate comparatur. Hinc enim omnibus modis omnes passim edocemur: totaque proinde hu-

mana vita est continuata schola, et perennis instructio. Atque inde etiam patet, quibus praeceptoribus educationem referamus acceptam. Primo loco numerari debet naturae energia, instinctus, ratio; quot enim proprio, ut dicitur, Marte observando, reflectendo, experiendo non ediscimus, emendamus, melioramus? Parentes deinde, et domestici alii exemplis, gestibus, praeceptis, monitis longa annorum serie continuatis; magistri postea publici aut privati ad id muneris destinati; libri tandem, leges, religionis ministri, nationis usus, et consuetudines. En humanae educationis praeceptores. Si vero materiam, seu objectum spectemus educatio in naturalem, civilem, urbanam, religiosam, scientificam, et artium dividitur: seu hosce omnes ramos complectitur educatio bene instituta. Naturalem dico, quam a natura, genio, et ratione naturali citra alium praeceptorem accipimus, aut facile possemus habere. Civilis communem vivendi modum in humana Societate moribus, legibus, consuetudine confirmatum, respicit. Urbana politiora, atque cultiora civilis vitae officia. Religiosa, quae Deum religionemque spectant. Scientifica et artium illud peculiaris scientiae aut artis studium, quibus operam dare statuimus. Proprius singularum finis et objectum est hominem de iis rebus et officiis instruere, quae ad singularum professionum, et statuum, et conditionum munera obeundum opus sunt, hominemque efficiunt, eo, quo vivit, statu, conditione, et professione doctum, et cultum.

Pro objectorum igitur, finis, et socialis status varietate admodum inter se differunt hominum educationes: alioque modo, et aliis ideis in Republica, in Monarchia, sub Despotismo institui debent homines, quod statum civile, urbanum, et politicum attinet. Ordinata hominis educatio plures datae divisionis par-

res complectitur; pluribusque debetur praeceptoribus se se consequentibus. Natura praeceptis, mentis reflexione, propriis periculis, et experientia, exemplo, consuetudine, legendo, audiendo, observando instituimur, edocemur.

Quocumque autem modo et ratione instituaris, educationis effectus est, hominem fere efficere, quod est: homo fere tantum est habitae educationis summa. Hominem cum dico, materialem et organicam ejus partem non intelligo, quae fere tota naturae opus est: hominem rationalem, civilem, urbanum, moralem intelligo. *Fere* etiam dixi, propterea quod temperamento et climati suas etiam partes eodem in opere vindicavimus. Hac notionum expositione praemissa, sponte consequitur, quod impraesentiarum probandum assumpsimus, hominum passiones et mores maximam partem educationi deberi.

Primo enim maxima passionum pars sunt factitiae, hoc est ex factitiis hominum associationibus, et statibus consequuntur. Hujusmodi associationes, civiles status, et vivendi rationes, conventionibus, legibus usu et consuetudinibus, doctrina et praeceptis statutae et confirmatae sunt totidem educationis partes superius relatae. Factitias hasce associationes, omnemque perinde educationem parumper tolle: hominemque spectemus in puro naturae statu, solitarium, incultum, vagum, totius humani commercii, legum, consuetudinum expertem. Quaenam eo in statu essent hominis passiones? Nulla enim vero superbia, jactantia, vanitas, amicitia, inimicitia, invidia, maleficientia, nullus amor famae, gloriae, divitiarum: nulla avaritia, aut prodigalitas. Omnia haec et nomine et re penitus essent ignota; solitarii enim hominis nulla esset artificialis lingua. Omnia igitur haec ab humanis associationibus, a statu, et ratione vitae civilis, a consuetudine, et legibus hoc est, ab

educatione incepta, continuata, absoluta dependent. Ubi nulla est cum aliis hominibus relatio, nullae esse possunt passiones relativae: cujusmodi esse, quas modo retulimus, ex earum notionibus patet.

Unde praeterea est, quod ejusdem professionis, aut ordinis homines quibusdam agantur passionibus, toti ordini communibus, et fere propriis? Aliae militarium hominum, aliae mercatorum, aliae litteratorum solent esse passiones. Quodnam inter Spartanum et Atheniensem civem non erat olim discrimen? Quantumvis parum inter se distarent celeberrimae illae Graecorum civitates atque respublicae? Id vero in diversam educationem, leges, consuetudines referendum, quibus inter se se toto caelo distabant. Ce- lebris est illa Diogenis sententia, cum a Lacedaemone, inquit, ad Athenas me transfero, a viro- rum ad mulierum contubernium transire videor. Tantum poterat civilis educationis discrimen in vi- cinissimis populis: institutae Lacedaemone mulieres etiam muliebri mundo neglecto, virtutem, arma, martialia omnia spirabant; dum Athenis homines muliebriter cogitabant, theatra, luxum, pocula, et amores.

Sicut humani corporis membra longo usu, et re- petitione actuum redduntur flexilia, atque ad cur- sum, saltus, choreas, artesque omnes apta et pro- na; mens etiam, et animus idearum acquisitione, repetitione actuum, grati ejusdem objecti sensu quo- dam contrahit cogitandi, volendique habitum, et spontaneam facilitatem, et inclinationem versus i- dem objectum. Actuum repetitione confirmatur eo- rum objectorum memoria, et ideae: perennis au- tem aut frequens de eodem objecto, grato aut in- grato, cogitatio, passionem tandem trahendo, aut retrahendo excitat. Non amamus quaerimus, inhi- amus, nisi cognita: nulla passio, desiderium, aver-

sio, ubi nulla cognitio, idea, sensus. Instructio autem sensu et idearum acquisitione comparata, quid tandem est, nisi informatio spiritus, et hominis educatio multiplici modo hucusque explicato peracta? Educationis autem privatio puram secum fert ignorantiam. Contra educationem igitur, atque in statu pure naturali nullae sunt factitiae passionis: educationis autem ratione illas omnes animo excitat amor sui, commune illarum principium.

Rem confirmant familiaria exempla, omnibus passim nota. Nihil magis vulgare inter modernas nationes, quam immoderatus tabaci recens amor, vini vero antiquus. Utriusque autem passionis ne quidem vestigium est inter nationes harum rerum ignaras. Cognitioni et usui recentem, antiquumque illum debemus amorem. Ex uno disce alia. Quae passionum, eadem est morum origo, atque principium; cum eadem fere sit utrorumque natura. Hucusque dicta, communis omnium hominum sensus, et experientia, usus et consuetudo omnium nationum, associationum civilium institutio, contractus sociales, necessaria scilicet rerum publicarum fundamenta, humanarum legum ratio, finis, objectum, humanae tandem naturae conditio, et indoles expositam hucusque doctrinam ad evidentiam demonstrant.

Longius etiam nos deducit argumenti ratio. In passionibus et moribus excitandis, et componendis sistitne educatio, temperamentum, clima; an in ipsarum etiam passionum, morumque radicem, ingenii scilicet, artiumque indolem agunt?



*Quid educatio, temperamentum, et organizatio in  
mentis, animique indolem, discrimina, dotes  
possint. Seu unde ingenii, iudicii, animique  
diversitas in hominibus. Ab educatione  
tantum ejusque varietate; an ab  
organizatione, et fibrarum  
diversitate?*

**Q**uaestio ethica in physicam, moralem, politicam  
resolvitur. Adeo verum est, hasce omnes fa-  
cultates sibi mutuo lumen affundere; atque Phy-  
sicam, Logicam, Metaphysicam ad Ethicam suppo-  
ni, atque ad illam et Politicam ducere. Humanae  
passiones, et mores educationis, et temperamenti o-  
pus existunt; rem hactenus demonstravimus. Estne  
ab iisdem principiis humani ingenii et animi fundus,  
hoc est, hominis ingenium, iudicium, prudentia,  
hebetudo mentis, et hujusmodi aliae animae dotes?  
Suntne ab educatione, an potius ab organizatione  
fibrarumque statu? En quod modo vertimus argu-  
mentum. Helvetius omnia haec educationi tribuit,  
omnesque homines bene organizatos, ejusdem esse  
ingenii, iudicii, prudentiae, si parem habeant edu-  
cationem. (a) Cum Philosopho materialista nil nisi  
materiam admittente, sensumque propterea materiae  
tribuente, omnes animae actus, ideas, cognitiones,  
ratiocinationes, mentis acumen, iudicium, prudentiam  
ex passiva sensibilitate, quam materiae tribuit, de-  
ducente, haec omnia passivum illum esse sensum,  
omnia in illum resolvi affirmante: cum hujusmodi,  
inquam, Philosopho, Tullio etiam monente (b),

---

(a) Helvet. de l'homme per totum opus. (b) Tullius de  
officiis lib. 1. num.



non est in Ethica disputandum. Opposita sententia organizationi, et fibrarum indoli, hoc est, naturae rem tribuit: adeo ut, etsi percipiendi, et sentiendi energia spiritualis animae tota sit, ex organorum tamen indole et statu pendeat ejus facultatum exercitium atque perfectio. Quaestionis igitur summa est, totusne homo ars tantum sit, necne. Si omnes animae actus, et facultates sunt educationis effectus, totus homo est ars. Si organizationis opus etiam existunt; tum vero homo cum physicus, tum rationalis et moralis opus est artis, et naturae.

Meus sensus est, iis semper metaphysicis veritatibus suppositis, quas Ethicae praeposuimus, hominem, quoad passiones, vitia, et virtutes morales, civiles, politicas fere totum esse educationis opus, ut in iis etiam partem magnam habeat temperamentum; facultatum vero animae perfectior imperfectiorve status et operatio a naturali organizatione pendeat. Est dicere, homo physicus est naturae, homo moralis est educationis et temperamenti: spiritualis animae sunt omnes mentis facultates, vis nimirum sentiendi, cogitandi, volendi: harum facultatum conditio, hoc est mentis perspicacia, iudicium, prudentia, et aliae similes ab organizatione et fibrarum statu maxime pendent. Postrema tantum pars superest probanda. Homines igitur, ut artefacta illa considero, quorum meritum et valor maximam partem ab artificis manu, materiae fundus, et pretium naturae totum existit. Quid enim, si in auro, et in vili ligno idem fiat artificium: omnia ne erunt paria?

Opposita enimvero sententia nullo argumento fit probabilis, sed luculenta tantummodo enumeratione passionum, virtutum, vitiorum, aut consuetudinum ab educatione derivantium innititur: quae quidem omnia admittimus, nihil ad rem facientia. Singuli homines eodemne semper mentis acumine, iudicio, pru-

dentia valemus? In uno eodemque homine, eodem educationis gradu permanente, ex solo statu physico corporis, fibrarum, atque humorum, mentis ingenium mutari, intendi, remittere, hebescere, deperdi, quotidianum est phaenomenon, et humanitatis conditio. Unde enim repuerascunt saepe homines, insaniunt, hebescunt, rerumque memoriam amittunt? Homines aliquando ex acutis fiunt stupidi, et vicissim: milleque aliae hujusmodi vicissitudines mentibus humanis accidunt. Est igitur in corpore humano ratio sufficiens earum mutationum, citra ullam educationis varietatem. Homo antea doctus, mentis acumine, judicio et prudentia pollens, ex repentina, humorum fibrarumque alteratione, omnes illas animae dotes amittit. At educatio ad momentum usque mutationis fuit semper eadem, unde igitur tanta illa in animae facultatibus mutatio? nisi a mutato fibrarum humorumque statu?

Duo saepe bene organizati pueri eadem, quantum humanae diligentiae licet, educatione instruantur: nihilo tamen minus dispar in iis ingenium, caeteraeque mentis et animi dotes explicantur, et animadvertuntur: alterque ad arma genio ducitur, ad otium, ad libros alius. At eadem in utroque educatio supponitur; falsum tamen inquit: difficillimum, et vix possibile existimant eadem prorsus educatione duos institui homines. Idem factum, exemplum, praeceptum diverso modo illos afficit; cum diversa in iis sit sensibilitas, totius rei fundamentum. Educatio igitur specie quidem eadem, re tamen est diversa. At ita ratiocinando, nobiscum tandem nolentes conveniunt. Est igitur in hominibus bene organizatis diversa fibrarum sensibilitas: idem enim objectum diversum in iis excitat sensum. At diversa illa sensibilitas in diversam fibrarum indolem, tensionem, duritiem, elasticita-

tem, subtilitatem, et similes alias affectiones refunditur. Hac enim de causa minus est sensibilis callosa bajuli, quam tenella pueri manus. Rem igitur petere a diversa sensibilitate nihil tandem aliud est, quem per longiores ambages in naturam et statum fibrarum, atque in temperamentum confugere.

Quaerenti enim, unde sit humanae mentis acumen, iudicium, prudentia, praecipitantia, stupiditas, a sola educatione et arte, respondes, nequaquam vero ab organizatione, et natura. At eadem educatione, repono, in hominibus bene organizatis instituta et absoluta, in uno quidem explicatur mentis acumen, in alio vero stupiditas. Ita quidem, respondes, id tamen ex diversa sensibilitate provenit, quam eadem facta in diversis hominibus excitant. Bene est; duobus igitur hominibus eodem modo, hoc est, iisdem praeceptis, factis, exemplis, doctrina educatis, unius ingenium, alterius stupiditas in diversam sensibilitatem, ab iisdem causis physicis excitatam, resolventur. At quod eadem physica causa, v. g. frigore, agente, vividior in uno, quam in alio excitetur sensus, intensiorque sit unius prae alio sensibilitas, id tandem in fibrarum indolem, humorum temperiem, hoc est in naturam et organizationis statum refunditur. Stupiditas igitur, aut acumen mentis, fatuitas, prudentia, iudicium, non humanae artis, seu educationis, sed naturae potissimum opus est, quod rei fundum attinet.

Rem ita statuendo, facultatum animae meritum, et dotes magnam partem educationi deberi non inficiamur. Neque enim dubium est, quod multiplicium idearum acquisitione, multarum rerum memoria, diuturno meditandi, scribendi, agendi usu expeditiora fiant facultatum animae exercitia et actus; meliusque explicentur ipsaemet innatae facultates animae. Id unum asserimus, et probavimus, rei fundum, ut

ita dicam, non educationis et artis, sed naturae et organizationis conditionem esse, et consequentiam. Plurima, quae passim in hominibus observamus, eorum mentis animique indolem, phaenomena, et mutationes spectantia, ex tradita hactenus doctrina sponte consequuntur, eamque ulterius confirmant. Ex multis attingamus pauca. Fiunt saepe in hominibus temporariae, fiunt etiam aliquando permanentes in statu animae mutationes. Mutatas igitur fuisse oportet ejusdem status causas, aut fundamentum. At dum ita mutamur praecedens permanet educatio, solaque fit in fibrarum, humorumque statu physica mutatio. Dum febre deliramus, aut in gravescente aetate repuerascimus, nihil in educatione, plurimum in physico corporis statu immutamur. Homo acuta mente antea praeditus, hebes aliquando evadit: id vero ex physica in fibrarum indole, et statu mutatione. Fac ut fibrae in pristinum restituantur statum, in eoque constanter permaneant: en restitutum homini ingenium. Quid ad haec educatio? Physicae haec omnia consonant; nulla vero educationi.

2. Quid in humanis societatibus magis commune, quam quod educationi scrupulose atque diligentissime inceptae, continuatae et absolutae, citra educantis culpam, contrarius respondeat effectus? Id quidem, si toti ab educatione sumus, explicatu et factu impossibile, ex tradita doctrina sponte consequitur. *Et si enim naturam expellas furca, tamen usque redibit*: ut Horatii verbis rem totam explicemus. Et hinc immerito saepissime carpuntur juventutis praecipitores, quod parentum votis, educationis fructus nos respondeat. Quasi scilicet institutorum munus esset mentem adolescentium creare: cum eorum tantum partes sint, creatam instruere, et quo modo possunt polire. Saepissime tamen merito accu-

santur: quod homines propositae sibi ad ediscendum artis aut scientiae natura capaces, multis de capitibus male instruant: quae quidem enumerare, examinare, corrigere, ethici Philosophi non est.

At educationis ejusdem, inquit Helvetius, sicut ejusdem caussae, et artificis eodem semper modo operantis, idem debet esse effectus, atque artificium: hoc autem est homo rationalis, moralis, civilis. Homo in triplici hoc ordine est ejus educationis summa; citra educationem est nihil: ex educatione totum habet, quod est. Respondeo. Artificis non est, materiam in quo agit creare: sed illam tantum pro illius capacitate modificare. Ejusdemne elegantiae opus in metallo, atque in vili mollique luto construit artifex, eadem manus dexteritate, et artis peritia utrumque aggressus? Quid igitur, pergit, de institutoribus quaeruntur tantopere parentes? Argentarione vitio dabitur, si de molli luto machinam construxit minus elegantem, quam de oricalcho construere poterat? Subjectum et machinae, et educationis inculpandum potius per nos est, quam artificis, aut institutoris. Respondeo: est tamen inculpandus, si neque artifex quod ex luto, neque institutor, quod ex commisso sibi discipulo fieri poterat et debebat, ob negligentiam, aut imperitiam exequantur. Hic enim vero est omnium fere educationum casus: haec institutorum culpa, et communissima querelarum causa. Obiter tamen in institutorum gratiam, atque excusationem dicendum est, hominem instituere, hoc est ex sentiente humana machinula hominem tandem rationalem, moralem, civilem, doctum informare, problema esse solutu adeo difficile, ut diligens aliqui praceptor merito excusetur, etsi a scopo longe aberret, hominemque non instituat numeris omnibus absolutum.

Quae hucusque disputavimus, ad peculiarem ho-

minum, nationumque characterem discutiendum nos sponte manuducunt, ex iisdem fontibus derivantem, iisdemque potissimum consistentem.

§. XI.

*Quid, et unde potissimum est hominum, atque Nationum character: unde et quomodo illius mutationes accidunt. Solane educatio; an sola naturalis fibrarum temperamentique indoles; an utrumque insimul Nationum characteris principium et causa existat.*

**C**haracteris nationalis nomine significamus, et intelligimus, quae nationem potissimum ornant, aut deturpant, atque ab aliis distinguunt. *Nationis*, inquam non humanae speciei, neque individui hominis. Quod enim est inter hominem caeteraque animantia discrimen, hominis quidem non vero nationis character existit: eodemque modo de singulorum hominum characteribus philosophandum. Nationum, sicut et hominum, character ab animi qualitatibus, ejus scilicet indole, passionibus et moribus potissimum desumitur. Corporis accidentia non nisi characteris appendix dici debent, aut secundarium discrimen. Non ex uno vel altero, hoc est, infrequentibus actibus, sed ex inhaerentibus qualitatibus, moribus, animique dotibus cognoscitur: defini idcirco potest complexio qualitatium animi et morum in natione speciatim observata, illamque ab aliis distinguens.

Si diversa corporum accidentia in nationibus observata, earum characteris partem dicamus, in iis potissimum numerari debent sequentia. Multiplex color per climata observatus, albus, subniger, subflavus, niger, alii.

Sed iis omissis, characterem nationis tria haec generalia capita componunt, mentis indoles, corporis et animi passiones, virtutes et vitia. Ad primum caput spectant mentis acumen, aut obtusio, iudicium, prudentia, praecipitantia, fatuitas, et similes aliae affectiones. Secundi ordinis, corporis agilitas, aut torpedo, animi vivacitas, hilaritas, indolentia, insensibilitas, gravitas, melancholia. Tertiam classem passiones superius enumeratae, virtutes et vitia inferius disputanda. Harum rerum gratia vulgo dicimus, hanc quidem nationem plus iudicio, quam ingenio valere, indole esse phlegmaticam, tardam ad iram, vino proclivem, hospitem &c. Cum igitur nationum characterem componant mentis animique dotes, passiones corporis et animi, virtutes, vitia; eadem characteris, quae ejus partium, causae et principia existunt: clima nimirum, temperamentum, fibrarum humorumque indoles, imprimisque educatio. Cum educationem dico, omnia intelligo hoc nomine superius donata: imprimis vero institutionem publicam religione, consuetudine, legibus, exemplis confirmatam.

Quamdiu haec manent communia nationis documenta; eodemque modo physico, morali, civili, et politico vivitur; constans etiam perseverat gentis character. Hoc vero eadem ratione, et gradu mutabitur, quo illius etiam causae mutabuntur: unaque et eadem erit rei utriusque vicissitudo. Hinc igitur intelligimus, quam nationum annales legendo passim animadvertimus ejusdem gentis eodem loco habitantis, diversis temporibus characteris diversitatem. Quodnam enim vero inter modernos, et antiquos Romanos discrimen? Quantum etiam hodierni Graeci, Turcarum imperio oppressi, ab antiquis liberis republicas componentibus non differunt? Eosdem esse populos inficiaremur, nisi rem demonstraret historiae

fides, et geographica locorum descriptio. Neque magna adeo temporum intervalla fluere opus est, ut in eadem gente majorum characterem desideremus. Moscovitas elapso proinde saeculo degentes amplius non referunt praesentes eorum nepotes. Idem de Anglis, plurimisque aliis nationibus dici quodammodo potest.

Contra vero quos in antiquis scriptoribus descriptos legimus Arabas, nostris quoque temporibus invenimus. Iidem etiam Sinae a quatuor annorum millibus et sedem imperii, et gentis characterem retinent. Immutatum scilicet est harum nationum clima, eadem leges, consuetudines, vivendique modus.

Quod si praedictae characteris caussae, praecipue autem educatio, quae in iis potissimum habet locum, paulatim immutentur, perficiantur, aut degenerent; eadem prorsus ratione et gradatione in melius, aut in pejus degenerabit character. Educationem praecipuam esse dixi characteris statuendi caput. Id vero supra dicta omnia, id ratio et observationes confirmant. Inter Lacedaemonem et Athenas nulla climatis, tantilla locorum erat distantia: maximum tamen in educatione discrimen. Et hinc illa erat characteris differentia, quae populos antipodas posset distinguere. Sed quid haec remota adeo quaerere exempla? Inter fratres iisdem et temperamento, et domestica, juvenilique educatione praeditos, militarem tamen unum, mercatorem, aut religiosum alterum, quanta, post plures annos, characteris diversitas, professionum differentiae penitus referenda? Consuetudo, ut latinum fert proverbium, est altera natura: eaque insimul educationis pars magna existit; cum praeceptis, exemplis, legibus, religione potissimum inducatur, et confirmetur. Quod igitur haec institutionis elementa in nobis ingenerant, quod animi indolem spectat, vim quamdam



naturae per se ferunt, et nostrum characterem componunt.

Plurima ex dictis deducuntur corollaria consideratione digna, atque ad humanarum societatum usum utilia. Cum hominum, nationumque character ex privata publicaue educatione maximam partem pendeat; satis per se patet, quanti esse debeat, nationesque intersit, meliori, quae fieri possit, legislatione duci, artium scientiarumque cultu informari. Duo scilicet haec *doceri* et *dūci* hominibus universim opus sunt: doceri scilicet, quae hominis propria sunt munera et officia; duci vero ad hujusmodi officia *exequendum*; prima esse debent educationis capita: quorum primum ad scientiam, secundum ad leges pertinet. Sed quonam nos duceret, quod modo tangimus, difficile aequae atque amplum legislationis *et* studiorum argumentum? Ad rem nostram satis est, nationem rudem, ignorantem, barbaram nullis, aut inconsultis legibus degentem, cum natione artibus scientiisque culta, optimisque legibus ducta comparare. Quisnam utriusque nationis character, quinam mores, et humana felicitas?

2. Saepissime accidit, ut hominis, imo et nationis character ex contrariis componatur, duplexque quodammodo appareat. Homines saepe videas genio et temperamento fervidos, atque ad iram faciles; diuturna tamen consuetudine et usu temperamenti indolem fraenandi ita contritos, ut in iis humanitatem, ut commerciique suavitatem admireris.

Ab uno vero exemplo, disce alia. Communissima enim est hominis in statu sociali degentis haec characteris, hoc est, naturalis indolis et educationis contradictio. Eo pacto educatione naturam moderamur: ratioque, doctrina, imo passiones aliae aliarum sunt remedium. Priusquam tamen passiones passionibus, atque ratione moderemur, dignoscere oportet.

tet, quo passiones ipsae nos ducant, quid ex earum usu sperandum, quid ex abusu timendum: quidque rei sit earum usus, et abusus, utilitas, aut pericula.

§. XII.

*Passionum moderatio, et excessus, usus et abusus: utriusque discrimen et criterium ratio.*

**P**ropriam passionum indoles est vivida activitas, contra ac ipsarum nomen indicare videtur. Ab huiusmodi activitate sunt omnes illarum effectus. Hanc igitur unam prosequamur: ommissa deinceps, quae superius exposita fuit, nominis significatione, et passiva rei origine. In activitate, et passionum actionibus, quas per passiones, seu ex passionum stimulis agimus, illarum usus et abusus, utilitas et pericula consistunt. Ad haec duo dignoscendum, et definiendum, omniaque ad verum hominis bonum et felicitatem dirigendum, distinguere oportet actionum passionis principium, modum, finem seu objectum, hoc est, *unde, quomodo, quid* humanae passiones agant: seu potius agamus passionibus excitati. Objectum, seu finis, quod per passiones, atque ex passionibus quaerimus est, *bene esse*, seu voluptas, et gaudium ex boni alicujus fruitione. Hoc autem bonum ejusque fruitio esse potest existens, aut praevium, verum aut apparens, physicum aut ideale. Cum vero haec omnia, bona, eorumque possessio praesens, aut praevisa, secum ferat animi, aut sensuum voluptatem et gaudium, in hunc tandem scopum tendunt passiones universae.

Modus agendi passionum proprius est sensibilis, hoc est, sentientis animae energiae, physicae objectorum actioni, imaginationis fervori, et organorum

indoli proportionalis. Quae sane vires, et principia, magnam partem mechanica, contra ac pura ratio, in qua nihil mechanicum, et sensibile, sed placidum tantummodo, clarumque mentis lumen irradiat. Principia vero et origo passionum, luculenter superius disputata, sunt primo quidem, amor sui hominem ad boni alicujus fruitionem innatis viribus, et media sensibilitate agens: 2. vero imaginatio, temperamentum, clima, educatio.

Ex passionum principiis, et agendi modo consequitur generalis earum character, et communes proprietates: ex fine vero et primo principio facile definitur earundem passionum usus, et abusus. Passionum characteres sunt, 1. *Activitas*: totae enim in actione consistunt, atque a principiis semper urgentibus sensum, affectumque excitantibus derivantur. 2. *Vivacitas* intensior aut remissior, pro varia passionum indole, objecto, et sensibilitatis gradu. 3. *Praecipitantia*. Nisi enim activae, vividaeque causae moderamen rationis adhibeatur, quisnam esse potest agendi modus, nisi praecipitantia? 4. Maior minorve *violentia* atque inconsulte agendi modus. Rationem enim saepissime praecedunt, obscurant fere semper, rarissime audiunt. Et hinc caeco modo agere proprius etiam est passionum character. Hae autem pro diversitate passionum, hominum, aetatis, aliarumque causarum, a quibus derivantur, admodum inter se distinguuntur. Aliae etiam sunt adolescentiae, aliae virilem aetatem comitantur, aliis tandem premitur, et agitur senectus. Et haec quidem communem passionum characterem spectant. Peculiares singularum differentias, atque indolem ex illarum objecto, et physica hominis constitutione pendentes postea dabimus.

Passiones tamen, ut praecipuum solvamus praesentis disputationis caput, sunt vel pro diverso ea-

rum objecto utiles, vel periculosae atque noxiae. Quot secum ipsis pugnantis passionibus non conveniunt? Ita vero res est: physica earum necessitas superius demonstrata, ex praesenti humanae naturae constitutione derivatur. Quam noxiae vero sint, atque periculosae, maxima passionum pars, plusquam par esset, communi experientia edocemur. Pugnantis haec inter se facile componit distinctio inter passionum usum, et abusum, moderationem, atque causam. Non male materialis caloris exemplo rem totam explicabimus. Etsi eadem prorsus sit caloris, atque ignis materia, atque natura, ignisque non nisi excessus caloris, calor vero moderatus ignis existat; moderatus tamen ille ignis, seu calor humanis corporibus, ut de his tantum loquar, et utilis, et necessarius habetur, ejusdem vero excessus, hoc est, ignis, non modo iisdem est periculosus, sed et noxius, atque exitialis existit. Eadem fere est passionum ratio: paria ex plurimarum passionum usu beneficia, atque ex abusu, et excessu proveniunt mala.

Id vero superest definiendum, quid rei sit utilis passionum usus, quid etiam periculosus earum excessus et abusus: quis inter utrumque communis limes existat, unde dignoscendus, et a quonam iudice definiendus. Rem totam ex passionum fine et objecto et modo edocebimur. Passionum objectum est fruitio boni existentis, aut praevisi, veri aut apparentis, honesti aut turpis: brevioris vero aut diuturnioris voluptatem ex hujusmodi fruitione percipiendam, passiones universae tamquam finem respiciunt. Quaecumque agiteris id unum objectum quaeris in eumque finem respicis. Modus praeterea ejusmodi bonum quaerendi, non modo in diversis, sed in eadem etiam passione multiplex esse solet: plusque aut minus de relatis passionum characteribus participare. Vera igitur desiderati objecti

atque finis acquisitio, ejusque acquisitionis modus, usum tandem, atque abusum passionum indicabit.

Rationis autem munus est, haec omnia definire, verumque limitem inter laudabilem, atque vitiosum passionis gradum, inter usum, et abusum statuere. Quatenam enim objecta vera sint bona, et merito prosequenda, quatenam fallaci tantum specie appareant; quisnam etiam esse, tenerique debeat in iis persequendis modus, una ratio, ille scilicet datus nobis a Deo humanarum actionum ductor, et lumen, monstrare potest. Rationalibus enim vero animantibus spirituali mente, et rationis usu ad rationabilem vitam degendum a Deo donatis, fallaci alioquin sensu praeditis, atque inter millia errandi pericula totam vitam acturis, juxta rationis dictamen omnia sua, cogitationes, dicta, facta dirigere necesse est.

Ex vera hac hominis constitutione, rationis passionumque characteribus sponte fluunt generales quaedam regulae, ad passionum usum et abusum, moderamen et excessum definiendum, aptae atque necessariae. Quod modum attinet, prima haec occurrit regula. *Froenanda, atque moderanda est passio, quamdiu haec rationis lumen obscurat, usumque impedit.* Exemplo sit animus ira aut furore excitatus: Bestiarum enim more agere bestiam, non hominem sapit ratione praeditum. II. *Periculosum semper est tum temporis ex passione agere, cum ex illius intensitate ad agendum trahimur.* Ita enim agendo liberi hominis dignitatem in automatam machinam convertis. Tenet vero regula, etsi in objectum per se bonum, te etiam volentem trahat machinalis necessitas. Esto enim, bonum per se existat violentae passionis objectum: neque in modo agendi, neque in sensu morali potest esse bonum, atque laudabile: periculosum in utroque: humanamque naturam rationalem et liberam penitus dedecens. III. *Passio*

*etiam inconsulta ratione agens, semper periculosa; ratione repugnante agens semper vitiosa.*

Tertia haec regula non solum passionis modum spectat, sed etiam objectum. De eodem sit ulterius regula IV. *Quotiescumque passionis objectum substantia, modo, aut circumstantiis honestati, seu rationi opponitur; vitiosus est passionis usus.* Hac regula, quae est purum innatae rationis dictamen, plures sensuum passiones notantur, quibus ratione perperam reclamante, sensus oblectamenta quaerimus, et avidissime prosequimur. V. *Si passionis objectum ex se quidem honestum, majoris boni impedimentum existit; inconsultus ut plurimum est ejus passionis usus.* Hujus regulae veritas atque exercitium exclusam supponit Optimismi sententiam: deinde eam non esse animi propensionem, quae naturalis videatur, et facile superari non possit.

VI. *Passiones circa objecta sensuum, aut imaginationis per se se honesta, quarum fervor et vivida incitamenta, quin rationem obscurent, ad objecti contemplationem continuo trahant, sunt imprimis laudandae et maximae colendae.* Haec enim illa tandem fiunt ~~enthusiasmata~~, quibus liberales, atque mechanicas artes, totque artium prodigia debemus. Beneficae et necessariae passionis exemplum esse potest Archimedes. In cunis forsitan adhuc esset Geometria et Mechanica, nisi profundissimi ingenii homo vehementi passione ad utriusque studium adeo incitaretur, ut sui aliquando, imminentisque mortis oblitus, in quandam naturalem ecstasim abreptus, in invenienda atque demonstranda cujusdam geometricae propositionis veritate totus esset. Urbe (Syraculis) a Romanis expugnata, irruentibus undequaque armatis militibus, dum omnia armorum strepitu, viventium, morientiumque clamoribus personabant, solus Archimedes, lineis supra

arenam ante se ductis, in absolvenda demonstratione absorptus, extra mundum, extra se ipsum esse videbatur. Accedit armatus miles, viso homine jam jam percussurus haeret: tum vero Geometra e scientifica ecstasi evigilans, viso milite atque periculo; siste parumper, inquit, quoad rem absolvam, ea absoluta interficiendus. Passionis usum, et abusum, seu excessum, quid in illa laudes, quid merito damnes, exemplo sit *la Fontaine*. Homo vinosus, cujus ore tres poetarum gratiae loquebantur (a) ad poesim genio, et passione natus, ad cetera omnia ineptissimus. Cum homini ejus filium sisterent aliquando amici: *Qui est-il ce jeune homme, quaerit poeta? C'est votre fils, respondent. Mon fils je ne vous connoissois pas: je me en rejouis.*

Ea vero est nostra hominum in praesenti vita conditio, ut in passionum turbine fere semper versemur: objectorum multiplicitate in nos agentium semper circumdati, ab aliis ad alia consequenter translati, humorum etiam, fibrarumque nostri corporis indole, et qualitatibus, et sensibilitate fluentibus annis, paulatim mutatis, alia et alia in nobis excitantur, nosque vivide pungunt desideria, breviora aut diuturniora, temporanea aut perennia. Iis aculeis, et stimulo semper excitatus amor sui, innatus ille nostrae felicitatis, aut infelicitatis artifex, si ita loqui fas est, omnia tentare nos volentes cogit, quibus desideria ipsa explere, et pro aliquo saltem tempore possimus esse contenti. Ejus rei obtinendae gratia, morarum ex se se impatiens, atque tardi consilii, in praeceptis nos saepe agit, atque ad sequenda, vitanda compellit. En tibi humanarum passionum tabulam utcumque adumbratam. Sed quo tandem consultos, aut inconsultos nos ducit alternus ille pas-

---

(a) Voyez les Fables de la Fontaine.

sionum usus, et abusus, tot passiones inter se contrariae, bonorum malorumque experimenta? Mirum esset si error ipse nobis evaderet veritatis magister: ipseque sui amor inconsultos in praecipitium antea ducens, nos tandem retraheret, atque ad portum recte conduceret. Ita rem esse, superest modo demonstrandum.

§. XIII.

*Quonam pacto ex passionum usu et abusu illarum remedium consequatur: seu ipsummet passionum exercitium ad earum abusum dignoscendum, remedia quaerendum, atque ad rationem, virtutem, animi tranquillitatem, et felicitatem nos sensim ducat.*

**H**aec fere est humanae naturae, atque vitae in praesenti statu conditio, ut in lucem editi, sentiendi facultate explicata, sensuum praeda, atque ludibrium per plures annos facti, eorumque energia, exercitio, et actibus, nil nisi voluptatem animique gaudium, et jucunditatem prosequentes, in vividiorum tandem passionum campum a natura ipsa ducamur, earum pariter ludibrium futuri. In eo sensuum tumultu, atque passionum limine albescens paulatim rationis lumen, acceptaque interim a parentibus et morum magistris moralis educatio per medias sensuum tenebras, atque errores, rectam viam, veritatem, pericula, fugienda, tenenda utcumque edocemur. Eoque modo nostra, aliorumque ratione clavum, et acum tenente, periculo saltem agnoscimus: aliqua vitamus, caetera post propria pericula, atque inconsulta experimenta paulatim declinamus, fugimus, aliaque ratione et modo felicitatem quaerimus, nostrismet periculis edocti.

Summa totius rei est, quod innatus ille sui amor,



quo ad animi jucunditatem quaerendum semper urgemur, ad omnes sensuum, animique voluptates, et passionum oblectamenta experiendum nos continuo incitat: eoque aculeo agitati passiones, alias post alias, experimur, post vanum voluptatis, et felicitatis phantasma aeternum currentes. Spectri tandem illusionem comperta, speque omni aliquam in passionum usu, et abusu felicitatem inveniendi penitus deposita, ex eodem illo sui amore antea inconsulto, perque tot passionum tumultus nos ducente ad meliorem tandem stationem, ad portum, rationem, virtutem reducimur.

Ad rem confirmandam satis est animadvertere expositum superius commune passionum principium, indolem, objectum, finem, effectus, agendique modum. Homo ex physica suimet constitutione, et innato sui amore passionibus agit, iis ducitur, magnamque vitae partem fere obtemperat. Hic vero est omnium passionum, imo et omnium hominis actionum scopus, bene esse, gaudium, voluptas, felicitas. Hoc unum, hoc est nosmetipsos, passionum usu et abusu respicimus, quaerimus, prosequimur. Neutro tamen rem assequimur, spe semper nostra delusi. I. enim uterque ille passionum modus, et qualiscumque voluptas, ex illarum usu et abusu percepta, non modo est admodum intermittens, sed intermissiones omnis voluptatis expertes fere totum vitae tempus durant. Et quod majus est intermissiones ipsae molestae, injucundae, incommodae: ipsaque fruitio neque desiderium explet, neque votis et spei respondet; effectusque post se trahit corpori et animo periculosos. Exemplo esse potest gula, communissimum inter homines vitium, et aliarum passionum fomes. Qui a ventris repletionibus felicitatem quaerit, diei horas male computat. Quot, et quanta inter pastum et pastum temporis

poris intervalla , diuturna , molesta , rationis usui , corporis sanitati noxia , civilique commercio injucunda ? Longas scilicet moras patitur venter , a gulosi hominis felicitate subducendas , quoad novus excitetur dolor , fames vulgo nuncupatus . Moderatus quidem passionum usus , cum animum per se se non expleat , ad abusum per se ducit . Hic autem intensitate sua longiora secum fert intervalla : nimioque praeterea usu sensum hebetat , et fere etiam destruit . Quin imo haec ipsa passionis intensitas , et abusus voluptatem sensus in oppositum vertit dolorem : ipsumque sensibilitatis principium corrumpit . Ita enim natura comparati sumus , eaque est physica nostrorum sensuum conditio . Ex leni fibrarum vellicatione suaviter animo afficimur , profundior pressio atque rasio iram , et dolorem excitat , sanguinem exprimit , mortem aliquando secum trahit .

Deinde in diuturnis illis et frequentibus vividiorum passionum iatermissionibus , quae per se se injucundae existunt , insipidae , et grati sensus expertes , mortifera animi nausea , importuna illa otiositatis pedissequa , et humanarum fortunarum pestis , animam obruit tetra caligine , et illustriorem specie felicitatem latens aerugo demolitur . In civilibus societatibus frequentissima sunt haec exempla infimae plebis invidiam , recte cogitantium irrisionem excitantia . Homines saepe videas divitiis utcumque affluentes , somni , mensae , et otii sollicitos , et studiose amicos . Horas octo , tertiam scilicet vitae partem , somno indulgetur , — existendi ratione inter mortem et vitam media . Parandae , fruendaeque mensae curis et labori , hujusmodi hominibus digno , succedit diuturna otiositas , qua nihil agendo , loquendo , cogitando , reliquum diei tempus transigitur . Nihil *agendo , loquendo , cogitando* , inquam ; in foro enim , aut amicorum societatibus , et conversatione sedere ,

quid novi accidat, frigida an calida effluat statio temporis, quaerere, id vero est in civilibus societatibus agere, loqui, et cogitare nihil. Reliquo otiaandi tempore sibi ipsis molesti, aliis injucundi, et, si senes sunt, intolerabiles, dies male perdunt, *fruges tantum consumere nati*. Haec enimvero nausea, illa animi inquietudo, quae in ipsomet passionum tumultu post equitem voluptatum amore currentem, sedet semper atra cura; quidam internus timor nulla voluptate ab animo depulsus, pericula ex passionum usu ipso ut plurimum pendentia, tot praeterea alia incommoda in mentem, animum, corpus ex iis derivantia, et propriis experimentis nota: haec, inquam, omnia diuturno usu experta, lentum nobis existunt magisterium; et saepe etiam post naufragium tabula. Hisc documentis tandem aliquando propriomet periculo comperimus, sensuum voluptatibus, passionumque usu, et abusu infelices nos potius esse, quam ad veram felicitatem duci. Nullam ex iis animi tranquillitatem, pacem, gaudium, necessarias enimvero felicitatis comites. Intermittentes, rarasque voluptates, felle semper et amaritudine temperatas, longamque post se malorum seriem trahentes, et vacua animi desideria nunquam explentes, ab usu illo passionum haberi. Alia via, alio duce, et magistro incedere, et uti oportere. In passionum usu nullo modo quaerendam, aut inveniendam esse felicitatem hactenus docuimus. Ut igitur ad hunc omnium humanarum actionum scopum recta contendamus serio tandem nobis ipsis consulimus. Idem ille amor sui, quo antea agebamur inconsulti, nos modo propriis periculis doctiores ad vertendam viam, rationem audiendam admonet. Illud vero consultae rationis primum debet esse dictamen, quod medicis ad aegrotantium corpora curandum solemne est: malo

primum remedium afferre, illiusque causam tollere: sublato malo, servandae et confirmandae sanitatis regimen praescribere. Idem igitur esse debet rationis munus, a passionibus, earumque imprimis abusu remedium quaerere: animumque, a praesenti malo jam liberum, vivendi modum docere, ad acquisitam sanitatem servandam, et magis semper confirmandam.

#### §. XIV.

*Passionum remedium triplex, passiones contrariae, ratio, virtutes.*

Cum tumultuosa passionum indoles, activitas, ususque praecipites earum proprii, naturae potius infirmitas, quam integritas, infelicitas quam beatitudo existant; in malumque physicum, et morale potius ducant, quam in vitam beatam; hominis est usu rationis praediti, suique amore semper ducti, physicae moralique aegritudini aptum quaerere remedium. Id vero debet esse morbo ipsi proportionale. Sicut physicis morbis physica applicantur remedia; pari ratione si aegritudine physico-morali laboramus, ejusdem etiam generis quaerenda est medicina. Cum ad posteriorem hunc ordinem passiones universim spectent, in earumque natura et indole locum habeant physica, ratio, mores; ex iisdem fontibus quaerenda, et derivanda sunt remedia. Passiones intelligimus quae vel ex objecto per se turpi, vel ex modo, atque intensitate, qua in objectum alias honestum nos praecipitant, ratione probari non possunt.

Passionum remedium esse potest omnibus commune, aut singularum proprium. Utrumque aut physicum, aut morale, aut ex utraque ratione mixtum. Priusquam haec omnia ulterius prosequamur; generalis illa regula praescribenda est, atque tenenda,

quam medici in corporis morbis curandis sanctam esse volunt. Tolle causam, adhibe contraria, praescribe regimen. Passiones enim, de quibus modo loquimur, morbi proculdubio existunt, mentem, animum, et corpus etiam saepissime afficientes.

Causa passiones in vitium et abusum flectens pure physica, est temperamentum, et clima. Temperamentum aut constans est, atque ex fibrarum humorumque indole derivans, aut temporarium, ab externae causae actione, et viribus proveniens. Caeterae causae passiones earumque usum in vitium et abusum vertentes, sunt 1. amor proprius, qui amor sui inconsultus nuncupari debet, et vulgo dicitur *Egoismus*. 2. Educatio male instituta, et continuata. 3. Vivida circa passionum objecta imaginatio, aut meditatio. Rei igitur summa est, hasce omnes causas in superioribus demonstratas, tollere, aut ita attemperare, ut nullum amplius ex iis esse possit periculum. Regionis clima immutare, hominum vires, et diligentiam ut plurimum transcendit: minime tamen peculiare illius effectus et efficaciam in proprio corpore modificare, et infringere. Primum esset physicum naturae ordinem invertere: secundum vero propriam humorum fibrarumque indolem moderari, intendere, aut remittere; in id enim resolvitur physicus climatis effectus in humana corpora: eademque est in re nostra climatis et temperamenti ratio. Homines, sunt ex sanguinis, aliorumque humorum copia, torpore, motu ad iram, ad tetram melancholiam, ad desidiam, ad alicujus sensus voluptatem magis, minusve proclives. Si haec ex constanti caeli temperie; aliunde quaerendum est remedium. Si ex peculiari vivendi modo, ex potu, cibo, aliisque humanae vitae commodis proveniant, ut fieri solet; contraria vitae ratio aptum erit remedium. Quid quod ipsa etiam humorum, fibrarumque indoles, quarum

physico stimulo ad passiones saepissime excitamur, physicis remediis, longaque oppositarum actionum consuetudine, sin minus tolli, admodum moderari potest.

Amor proprius, Egoismus vulgo dictus, in ignorantiam fere resolvitur. Qui se se unice amant, cogitant, quaerunt, omniaque facienda, vitanda per fas et nefas ad se se tantummodo referunt, suarum omnium actionum principium, scopus, et centrum, aut crassa ignorantia laborant, aut ratione perperam reclamante agunt. Naturalis, atque aeterna humanarum actionum lex et regula, et commune etiam totius humanae societatis bonum, peculiarem cujuscumque hominis utilitatem infinito superat intervallo. Quid enim atomus in immenso materiae vortice. Quodnam etiam discrimen inter luminosae rationis dictamina, et obscurissimam vividi sensus perceptionem? Pro communi bono, atque lege stat semper ratio. Tria haec neque ignorari debent, neque privatae utilitati posponi. Quin imo peculiare quodcumque bonum illis oppositum, sub boni, et utilitatis specie verum est noxium, atque turpe malum. Amoris igitur proprii, atque passionum ex illo principio incitantium remedium esse debet ratio. Hac enim vero actionum regula, mentis visione et lumine, et vitae consiliario a natura nobis dato, ut par est, audita, nullus amplius esset caecus et inconsultus amor proprius. Sed de generali hoc et potissimo passionum remedio, ratione scilicet, quae non modo a morali malo sanat, sed et moralem etiam sanitatem servat, plura statim.

2. De Passionibus recte dixit Seneca; *non expectant uno loco vitia, sed mobilis et inter se dissentientia tumultuantur: peltunt invicem, fuganturque.* (a) Cum idcirco contrariae inter se multoties

---

(a) Seneca de Beneficiis lib. I. cap. X.

existant passiones, atque ex earum objecto, modo, et sine opponantur, aliae aliarum mutuam possunt esse remedium. Ut malum hac ratione depellatur, praescribenda passio debet esse laudabilis: aut si inter opposita necessario versemur; e duobus malis minus est eligendum. Exemplo esse possunt avaritia et prodigalitas: altera enim alterius est non laudabilis medicina, et moralis mali morale pharmacum. Cavendum tamen semper est ne vitiosae aegritudini pejus adibeatur remedium.

Vitiosis passionibus, aliae saepe opponuntur minus periculosae, aut etiam laudabiles. Hominem vitiosa passione scandalosum tandem vitioso caeno retrahere potest honestatis hypocrisia, aut scientiarum amor, qualis Cartesium, novem annos in parvo Hollandiae vico latentem detinuit. Prior medicina sublato scandalo, homines exemplo trahente, minus malum saltem est infirmitate remedium: non laudandum quidem, neque praescribendum, sed a temetipso mitius dammandum. Secundum igitur remedium omni eloquentia suadendum.

3. Agendi desuetudo, actionesque passioni vitiosae oppositae. Desuetudine enim paulatim languet et deletur objecti imago, et sensus illa passione percepti memoria, atque cogitatio; quae quidem duo inter passionum causas locum habent. Organorum etiam fibris in contrariam partem identidem flexis, rationeque diversa modificatis, levior atque inefficacior inde fit veteris objecti actio, sensus et passio languidior. Deambulandi, et se se movendi diuturna desuetudine, musculorum activitas hebetatur, languescunt, paulatimque pigrescit agilis antea cursor, aut athleta. Legendi, meditandique desuetudine, sylvescit paulatim mens humana, hebescit ingenium, praesenti, et renovatae semper rerum memoriae succedit oblivio: alia objecta, aliae ideae paulatim

ad se se infectunt animum , antiqua paulatim ob-  
diviscentem .

4. Potissimum tamen atque universale passionum  
remedium est ratio: quae illarum usui , aut abusu  
semper contraria , regiminis , atque ductoris munus  
agit . Ratio et sensus , quo nomine significantur e-  
stiam passiones , duo illa sunt fila invisibilia , qui-  
bus in hac mortali vita nos constanter ducit amor  
sui innatus . Quocumque illorum ducamur , nostram  
felicitatem quaerimus , aut quaerere existimamus . Haec  
tamen est earum conditio , ut saepe inter se con-  
veniant , eodemque nos ducant , multoties , vero in  
contrarias trahant partes . Duplici hoc filo per to-  
tam vitam trahimur , diverso modo , in diversa ob-  
jecta , diversaque activitate ducimur , atque allici-  
mur . Rem demonstrant non modo explicata superio-  
ris rationis , et passionis , indoles , sed utriusque ex-  
plicatio , atque progressionis modus , et tempus . In  
statu naturali longo temporis intervallo rationem prae-  
cedit sensus , et passiones illius status propriae . In  
statu vero societatis , primis vitae annis sensu pro-  
prio vivimus , sed ratione aliena . Rationis usum per  
totum illud tempus deficientem supplet educatio , ra-  
tionis nostrae vicaria , alienae vero dictamina , ex-  
perimentum , et summa . Quid enim ratio , ejusque  
usus , quantum ad praesens institutum pertinet , ni-  
si intelligens discretio inter bonum et malum , in-  
ter verum et falsum , inter prudens et imprudens ,  
inter facienda et omittenda : ad ejus discretionis u-  
sum et exercitium dirigitur ? Eadem vero est educa-  
tionis summa , objectum , et scopus . Haec igitur  
postrema est dictaminum rationis comparatio et e-  
xercitium , alieno aut proprio labore , studio , et ra-  
tione partum . Primis vitae annis sensu quidem pro-  
prio , sed aliena tantum ratione , et intelligentia du-  
cimur sentientes machinae . Deinceps vero partim




aliena, partim etiam propria mente instruimur, educamur, agimus. Confirmata tandem aetate, nobis tantum commissi, quidquid novi ediscimus, proprii laboris, et studii fructus existit.

Humanae vitae periodus, et rationis gradatio, penitus considerata diei naturali, diurnoque solis motui, et phaenomenis multiplici de capite respondet. Molesta enim vero, vera tamen humanae vitae comparatio, et de illius brevitate monitio. Utrumque sane brevissimum fuit phaenomenon: quid dies naturalis, quid humana vita in medio temporum, atque indefinitae aeternitatis, nisi momentaneum phaenomenon, in apparitione ipsa disparsens? A tenebris ad obscuritatem, ab obscuritate in crepuscula consequens est transitus: crepuscula clarescentia fuit aurora. Auroram subsequitur sol oriens cujus claritas, et calor potissima diurnae periodi capita, et character, paulatim ascendendo ad meridiem usque intenduntur. Inde vero post certum conservatae intensitatis intervallum paulatim declinando remittere. Lucis et caloris remissio primo quidem lento procedit gradu, postea vero sole ad occasum magis inclinante acceleratur: quoad sole disparente, in crepuscula iterum, obscuritatem, tenebras, mutato ordine, diurna periodus absolvatur. En tibi tuametae vitae cursum, ac sensuum, rationisque gradationem in imagine semper praesenti et fugienti semper representatam. Injurius fere lectori essem, si singula hujusce comparationis capita prosequerer. Intelligenti rem indicasse satis. Rationis imo et sensus tenebrae, si ita loqui fas est, humanae vitae circuli principium existunt atque finis. Puerascere, et repuerascere duo sunt humanae vitae termini: prior quidem naturali conditione inevitabilis, secundus vero, nisi vivendi cursus ante metam terminetur, plus, minusve nos omnes de impendenti in matris sinum introeundi ne-

cessitate lugubri eloquentia monet. Virilis vigor desideratur, fractae vires, laxa membra, hebetes sensus, memoria infidelis, obliteratae ideae: aliorum auxilio senibus, eanisque pueris, ut recens natis, opus est, quoad tandem nobismetipsis graves, caeteris fere semper fastidiosi componamur, tantillis, laetitiae an doloris, lacrynis parentandi.

Sensus et passiones, ut rem nostram tantum attingamus, vivide quidem, sed per mediam caliginem nos abripiunt. Dum earum usu, abusu, et continuo experimento, ratione nondum clarescente, aut interim obscurata, vel etiam non audita, in dicenda tacenda praecipitamus, in hunc unum collineamus scopum, hoc unum quaerimus, voluptatem, animi jucunditatem, beatitudinem. Quae tamen est terrerarum rerum conditio, humanaeque voluntatis indoles? Illarum natura caduca, fructio brevis, incerta, diuturnis interrupta intervallis, omnis oblectamenti vacuis, inquietudinis vero, et nauseae plenis, vividaque post se relinquens nunquam explenda desideria, famem, nauseam, dolorem. Animus vero humanus caducarum rerum et voluptatum amans, inhians, fastidians, dolens, majora semper aspirans. Illud Horatii: *Qui sit Mecoenas, ut nemo, quam sibi sortem, seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa contentus vivat, laudet diversa sequentes*: historici potius, quam poetae videtur sententia. Nihil humanis animantibus ad altiora, et alterius ordinis felicitatem natis plene satisfacit. Objecta objectis commutamus: in labore otium quaerimus; in otio, nauseae ut plurimum comite, taedii praesentis solatium in labore iterum quaerimus, spei semper focus et ludibrium. Ut cogitationum, ita et fruitionum nostrarum objecta fluentibus annis mutantur: quod modo placet, propediem displicebit; aliisque, et aliis objectis eadem vicissitudine prosequendis, aut fugien-

dis locum faciet. Uno verbo, nos nobiscum ubique circumferimus, de aliis, de nostris, de nobismetipsis parum semper contenti. Dum igitur irrequieto passionum tumultu versamur, et violento turbine circumferimur, versatilis earum praeda et ludibrium, post inane felicitatis spectrum errantes curimus; Omni tandem spe destituti, nostrisque periculis et malis edocti, serio de mutanda scena cogitamus. Tum vero ratio per media passionum intervalla irradians, et clarescens, quasi lux in obscuram cameram illabens, acceptae olim educationis dictamina e pulvere veluti, et oblivione excitata, ob oculos ponit praeteritam passionum stragem, et commissos errores. Duplex hic vivendi ductor, propria et aliena ratio, hominem in ipsomet passionum usu irrequietum, nauseantem, infelicem, praeterita dedocent dictamina: alia objecta, alium mundum, aliamque vivendi rationem, et humanarum actionum scenam ostendunt, consulunt, suadent, Quenam enim vero, et quanta scenae mutatio, novaque rerum facies, cum nocturnae tempestati matutina succedit serena, et clara tranquillitas, ridentia littora prope ostendens! Nova haec objecta, et vitae modus a passionum voracitate retrahens, atque ad veram et possibilem felicitatem ducens, sunt ipsamet pura rationis dictamina, quae hominis officia mores et virtutes existunt, aut haec demonstrant et consulunt: hominemque rationalem, et moralem docent, constituunt, et a caeteris animantibus distinguunt. In haec igitur descendamus argumenta.



quibus affectibus :

unde inveniuntur quatuordecim. In hac prima generali  
ratione et moralem docent, continentur, et a ceteris  
hac de ratione et continentur : Remittendum ratio-  
natur. Porro in aliis notis et ratione existunt, vel  
tunc dicuntur, non solum per rationem dicuntur,  
sive sapientia, sive ad vitam et prosperam felicitatem.  
Mora hac objecta, et sine mora a passionum ratio-  
nem tranquillam, ingenia hinc prope ostenduntur  
notandum temperantiam naturam necesse videtur, et  
datis ratione moribus, novaque ratione facies, cum  
quibus continentur, autem, Quatuordecim enim vero, et  
rationem, et humanam rationem secum ostendunt  
ita : alia objecta, aliam naturam, aliamque vitam  
naturam, inveniuntur, praeterea debent dicuntur  
rationem in ipsoque passionum non inveniuntur.  
Duplex hic vivendi ductus, propter et aliam rationem,  
nam passionum naturam, et continentur erroribus,  
veluti, et oblivione excitatis, ob oculos ponit praeterea  
pauca, accipere omnia educationis dicuntur, praeterea  
et clarescere, duci hinc in operam continentur illa-  
vero ratio per media passionum interstitia inveniuntur.  
In edoceri, ratio de mutanda sensu cogitatione. Tum  
tunc rationem sine deinde, nonnullae praeterea et in  
hoc in fine feliciter, speciem curantur continentur, et  
continentur, veteribus eorum praeterea et iudicium,  
rationem eorum continentur, et inveniuntur curantur cito-  
pauca sapienter continentur. Dum hinc inveniuntur praeterea  
continentur, de aliis de ratione et nobis continentur  
de locis hinc. Ita verba, non sapientiam edoceri

# INDEX

## SECTIONUM

### TOTIUS OPERIS.

#### VOLUMEN I.

**P**raefatio . . . . . pag. 3

*Prolegomena in Ethicam.*

Sectio I. *Philosophia moralis generatim accepta, illiusque ab aliis philosophiae partibus discrimen.* . . . . . p. 10

§. II. *Philosophiae moralis amplitudo: in diversas partes, seu scientias divisio.* . . . . . p. 12

§. III. *Notio et discrimen singularum philosophiae moralis partium.* . . . . . p. 14

§. IV. *De Ethica, seu philosophia morali proprie dicta uberior disputatio.* . . . . . p. 17

§. V. *Philosophiae moralis utilitas, atque necessitas.* . . . . . p. 19

§. VI. *Philosophiae moralis amoenitas, certitudo, et cum Geometria comparatio.* . . . . . p. 23

§. VII. *Specimen historicum originis, progressus, et praesentis status philosophiae moralis.* . . . . . p. 28

§. VIII. *Duplex philosophiam moralem tractandi ratio; atque hujus operis methodus.* . . . . . p. 35

#### P A R S I.

*De Principio, fine, objecto vitae moralis. &c.*

§. I. *Definitiones ad Ethicam.* . . . . . p. 37

§. II. *Postulata philosophica Ethicae prae-*  
*Vol. I.* . . . . . s

- mittenda , et in Arte critica , Physica , et Metaphysicis demonstrata .* p. 44
- §. III. *De principio generali humanarum actionum , seu totius vitae moralis , homines ad agendum et felicitatem sibi procurandam intrinsecus ducente et impellente .* p. 46
- §. IV. *Dico igitur primo : in homine , animante nimirum physico-rationali , morali , certum aliquod esse debet omnium humanae voluntatis actionum universale principium , finis , objectum iisdem actionibus proportionale .* p. 50
- §. V. *Amoris sui natura et indoles , ad principium humanarum actionum relata .* p. 53
- §. VI. *Amoris sui indoles et efficacia , in humanas actiones .* p. 56
- §. VII. *Humanae vitae tabula superiora confirmat .* p. 64
- §. VIII. *Exposita hucusque doctrina vindicatur .* p. 70
- §. IX. *Humanarum actionum finis .* p. 76
- §. X. *De naturali humana felicitate .* p. 83
- §. XI. *Humana felicitas per naturae vires possibilis .* p. 85
- §. XII. *Humanae felicitatis naturalis criterium , seu felicitas apparens et vera .* p. 89
- §. XIII. *Quaenam sint morales hominum actiones , quaenam earum conditiones , ut honestae dicantur et existant .* p. 93
- §. XIV. *Voluntarium et involuntarium , ad actiones morales spectantia .* p. 96
- §. XV. *Humanarum actionum bonitas moralis .* p. 103
- §. XVI. *Humanarum actionum rectitudo , atque honestas .* p. 112
- §. XVII. *Honestum , seu Bonum per se i-*

*psum a nobis amatur, quin ad nos referatur?*

p. 119

§. XVIII. *Honestorum inter se comparatio: sunt ne omnia honesta inter se honestate paria?*

p. 125

§. XIX. *Humanarum actionum honestas atque rectitudo ante omnes conventiones humanas. Hobbesii sententiae.*

p. 128

§. XX. *Principium naturale, et primitiva regula honestatis, atque obligationum humanarum, omnes conventiones humanas praecedens.*

p. 133

§. XXI. *Idem prosequitur argumentum: quid lex generatim? Quotuplex ejus species, existentia, diversitas?*

p. 137

§. XXII. *Ratio Legis naturalis promulgatio, atque morum regula: ubi de conscientia, et sensu morali.*

p. 147

§. XXIII. *Quaenam rerum scientia et cognitio ad conscientiam opus sint; et hinc multiplex conscientiae divisio, et discrimina.*

p. 156

§. XXIV. *Multiplex ignorantiae species. Quid ignorantia in conscientiam, et actus voluntarios liberos agere possit.*

p. 160

§. XXV. *Ignorantia Dei, et Legis naturalis: ubi etiam de peccato philosophico.*

p. 163

§. XXVI. *Regulae et dictamina rectae conscientiae ratio praeponderans: quis majoris probabilitatis Judex: inutilitas hujus quaestionis.*

p. 168

§. XXVII. *Humanarum actionum imputatio.*

p. 180

§. XXVIII. *Humanarum actionum meritum et demeritum: utriusque regulae et caussa.*

p. 188

## P A R S - II.

*De praecipuis humanarum actionum  
excitamentis, atque impedimentis physico-  
moralibus, ad naturalem humanam felicitatem  
assequendum, &c.*

- §. I. *Perennis actio et passio totius humanae  
vitae summa, atque ex naturali, factitia,  
et morali hominis constitutione necessario  
consequens.* pag. 194
- §. II. *Definitiones passionum et affectuum:  
multiplex earum divisio, in naturales,  
factitias, sensuum, Animae.* p. 197
- §. III. *Principium atque natura physica hu-  
manarum passionum, et affectuum.* p. 202
- §. IV. *Passionum pericula aut utilitas: quid  
homo sine passionibus? Quomodo passio-  
nes et affectus principium agendi?* p. 206
- §. V. *Evolutio analytica passionum ex amo-  
re sui, seu amoris sui per passiones: quid  
in illas possit temperamentum, educatio,  
leges.* p. 217
- §. VI. *Recensio et notio singularum passio-  
num, earumque character.* p. 221
- §. VII. *Naturalis passionum ordo, aliarum-  
que ex aliis evolutio, atque connexio.* p. 227
- §. VIII. *Influxus temperamenti et climatis in  
humanas passiones atque mores.* p. 230
- §. IX. *Influxus educationis, legum, consue-  
tudinis in passiones et mores.* p. 236
- §. X. *Quid educatio, temperamentum, et or-  
ganizatio in mentis animique indolem, di-  
scrimina, dotes possint. Seu unde inge-  
nii, iudicii, animique diversitas in homi-  
nibus. Ab educatione tantum ejusque va-  
rietate; an ab organizatione et fibrarum  
diversitate?* p. 242



- §. XI. *Quid et unde potissimum est hominum, atque Nationum character: unde et quomodo illius mutationes accidunt. Solane educatio; an sola naturalis fibrarum temperamentique indoles; an utrumque insimul Nationum characteris principium et causa existat.* p. 248
- §. XII. *Passionum moderatio, et excessus, usus et abusus: utriusque discrimen et criterium ratio.* p. 252
- §. XIII. *Quonam pacto ex passionum usu et abusu illarum remedium consequatur: seu ipsummet passionum exercitium ad earum abusum dignoscendum, remedia quaerendum, atque ad rationem, virtutem, animi tranquillitatem, et felicitatem nos sensim ducat.* p. 258
- §. XIV. *Passionum remedium triplex, passionum contrariae, ratio, virtutes.* p. 262

## VOLUMEN II.

### ETHICAE PARS III.

*De causis et mediis physico-moralibus ad humanam felicitatem naturalibus, illamque constituentibus &c.*

- §. I. *De virtute generatim, nominis rei que definitio: multiplex virtutis divisio.* p. 3
- §. II. *De virtute generatim accepta; ejus natura physica, rationalis, moralis; regula et objectum.* p. 5
- §. III. *De officiis hominum moralibus: quid officia; multiplex eorum objectum, atque divisio.* p. 12
- §. IV. *Principium et ordo officiorum, atque virtutum.* p. 15

- §. V. *Officia hominis erga Deum, seu Religio naturalis; ejus natura, et veritas ex primi Entis existentia et attributis, atque ex hominis natura derivata: contra Deismum.* p. 21
- §. VI. *Religionis naturalis dogmata, praecepta, atque necessitas, contra Deismum.* p. 25
- §. VII. *Homo religionis naturalis expers, seu Atheus, potestne habere virtutes morales?* p. 43
- §. VIII. *Stare ne etiam posset Atheorum Societas, seu Respublica?* p. 48
- §. IX. *Quid de Polytheistarum Societate? Estne Atheismus Polytheismo praefereendus?* p. 59
- §. X. *De Idololatria; ubi de vera religiosa adoratione, tum naturali, tum revelata seu Christiana.* p. 63
- §. XI. *Superstitio, et Fanatismus, rationi et religionis puritati contraria.* p. 81
- §. XII. *Solane ratio et Religio naturalis sufficiunt; an ratio ad revelationem, Religio naturalis ad revelatam ducunt?* p. 90
- §. XIII. *Ratio ad revelationem ducit: seu Ratio necessitatis et existentiae revelationis argumentum.* p. 106
- §. XIV. *Officia hominis erga se ipsum, ex Lege naturali derivantia.* p. 115
- §. XV. *Suicidium, seu hominis in vitam mortemque suam dominium.* p. 118
- §. XVI. *Officia hominis erga se ipsum physica et rationalia.* p. 124
- §. XVII. *Moralia hominis erga se ipsum officia.* p. 130
- §. XVIII. *Temperantia et continentia; et opposita vitia.* p. 133

- §. XIX. *Sobrietas, frugalitas, vitiisque* iis  
virtutibus opposita. p. 136
- §. XX. *Idem prosequitur argumentum.* p. 142
- §. XXI. *Mansuetudo et Iracundia.* p. 148
- §. XXII. *De moralibus officiis et virtutibus,*  
*Patentia, Constantia, Fortitudine, at-*  
*que oppositis vitiis.* p. 156
- §. XXIII. *Status hominum socialis, seu as-*  
*sociatio hominum in Statum Societatis.* p. 169
- §. XXIV. *Principium, seu origo, modus,*  
*et natura Societatum civilium: seu unde,*  
*quomodo, quid sint Societates.* p. 176
- §. XXV. *Idem prosequitur argumentum.* p. 184
- §. XXVI. *Fundamenta officiorum generalia*  
*hominis erga homines.* p. 197
- §. XXVII. *Justa sui cujusque hominis, alio-*  
*rumque aestimatio, unde humilitas philo-*  
*sophica, et modestia derivantur; oppo-*  
*sita vero rejiciuntur vitia, egoismus, su-*  
*perbia, gloria, jactantia, vanitas: quid-*  
*que rei sint indicatae virtutes et vitia.* p. 201
- §. XXVIII. *Humilitas philosophica, modestia,*  
*atque opposita vitia.* p. 204
- §. XXIX. *Humilitati opponitur superbia, mo-*  
*destiae jactantia; utrique vanitas, et va-*  
*nagloria.* p. 208
- §. XXX. *Vanitatis et jactantiae individuus*  
*comes, seu vana et falsa gloria, vitio-*  
*sus alter ramus ex eodem trunco ger-*  
*minans.* p. 213
- §. XXXI. *Contemptus divitiarum, honorum, vo-*  
*luptatum; atque oppositae passionis et vitia.* p. 218
- §. XXXII. *Honorum apathia.* p. 222
- §. XXXIII. *Apathia, et contemptus volu-*  
*ptatum.* p. 224
- §. XXXIV. *Vitia superioribus virtutibus op-*



- posita; hoc est ambitio, cupido, luxus, libido.* p. 226
- §. XXXV. *Cupido et luxus.* p. 229
- §. XXXVI. *Castitas, et passiones huic virtuti oppositae.* p. 234
- §. XXXVII. *Officia moralia pura hominis erga alios homines.* p. 237
- §. XXXVIII. *Amor et benevolentia: prima hominum mutua officia et virtutes.* p. 238
- §. XXXIX. *De Amicitia.* p. 242
- §. XL. *Affectus et vitia Benevolentiae, atque amicitiae opposita.* p. 254
- §. XLI. *Beneficentiae atque Benevolentiae consecutaria, seu Liberalitas, Generositas, Humanitas, atque Beneficentia.* p. 258
- §. XLII. *Vitia moralia laudatis opposita: Avaritia, sordes, pusillanimitas, temeritas, audacia, egoismus.* p. 262
- §. XLIII. *Aliae Amoris et Benevolentiae species, ex objectis differentes, Pietas scilicet, Charitas, Patriotismus.* p. 266
- §. XLIV. *De commiseratione, misericordia, atque opposita cordis indole et caractere.* p. 270
- §. XLV. *Amor paternus, atque parentum, et filiorum officia,* p. 277
- §. XLVI. *Patriotismus, seu amor Patriae, atque munera et officia Civium.* p. 279
- §. XLVII. *Fides, Veritas, atque Sinceritas.* p. 284
- §. XLVIII. *De justitia, et aequitate, earumque officiis,* p. 287
- §. XLIX. *Juris, domini, obligationis, hoc est Justitiae fundamentum, regulae, officia generalia.* p. 290
- §. L. *De Prudentia, et virtutibus affinibus, atque oppositis vitiis.* p. 294
- §. LI. *Fortitudo cardinalium virtutum altera.* p. 301
- §. LII. *Humana Felicitas naturalis.* p. 306



---

Die 18. Jan. 1794.  
IMPRIMATUR  
Fr. V. A. Cavalloni Vic. Gen.  
S. Off. Ferr.

Die 1. Martii 1794.  
IMPRIMATUR  
Ferrantes Compagnoni Vic. Generalis.

